

BISTERFELDIUS REDIVIVUS:

Seu

OPERUM

JOH: HENRICI BISTERFELDII
Magni Theologi ac Philosophi,
Posthumorum,


TOMUS PRIMUS,

In quo Tractatus varii Philosophici continentur, quorum seriem vide Pagina sequenti.

HAGÆ-COMITUM,

Ex Typographia ADRIANI VLACQ,

M. DC. LXI.



Typographus Lectori.

Ecce, Benevole Lector, doctissimi subtilissimique Theologi ac Philosophi Iohannis Bisterfeldii Tractatus varios Philosophicos, qui post mortem Clarissimi Authoris in manus Amici cujusdam sui consignati fuere, qui ne in obscuro laterent, eos in Hollandiam misit, ut per Typographum quendam prælo submitterentur & publici Iuris fierent. Rogatus ego non modo id non recusavi, sed libentissimè sumtus istos in me recepi. Novi enim quanti nominis sit Author apud omnes doctos quotquot alia ejus opera jamdudum edita viderunt seu legerunt; speroque me à multis aliquam gratiam meriturum, præcipuè à Tyronibus studiorum, quibus quantum hæc opuscula profutura sint, nullus dubito quin magis ex fructibus quam ex promissis meis experturi sint: Si hæc tibi grata esse percepero, alia ejusdem Authoris opera tibi communicare non gravabor. Vale.

SE-

SERIES TRACTATUUM
hoc volumine primo
contentorum.

I. *Alphabeti Philosophici, sive Philosophiæ præcipuorum principiorum libri tres.*

II. *Aphorismi Physici.*

III. *Sciagraphia Analyseos.*

IV. *Parallelismus Analyseos Grammaticæ & Logicæ.*

V. *Artificium definiendi Catholicum.*

VI. *Sciagraphia Symbioticæ.*

ALPHABETICUM PHILOSOPHICUM, SIVE PHILOSOPHIÆ. Præcipua Principia.

ISAGOGE PHILOSOPHICA.

CAPUT PRIMUM.

De Disciplinarum Principiis in genere.

I. E*Ncyclopædia est ordinatissima omnium disciplinarum compages*, ideoque pictum mundi amphitheatrum. Ea est interna, ut *Habitus*. Externa, ut *Systema*. Utraque spectatur in se: v. qua est perfecta, vel in subjecto, qua est modificata, seu imperfecta.

II. *Disciplina est habitus intellectualis, congruus, complexus*, seu est systema scibilium & cognoscibilium.

III. *Encyclopædiæ & disciplinarum videnda præcognitio & recognitio.*

IV. *Præcognitio est cognitio disciplinarum confusa, seu involuta. Recognitio est distincta seu evoluta.* Est autem hæc præcognitio utilis & necessaria cum sit clavis & fons semper distinctus: Ita enim semper meus humana progreditur à cognitione confusa ad distinctam. Unde oritur usus compendiorum, quem vocamus *Isagogen Philosophicam.*

V. *Præcognitio est Theoretica, vel Practica. Theoretica est quæ explicat disciplinarum naturam;* Estque Radix & norma practicæ.

VI. *Præcognitio Theoretica est generalis, vel specialis.* Illa considerat disciplinarum convenientiam, hæc differentiam.

VII. *Convenientia disciplinarum spectatur in communibus principiis, & attributis.*

VIII. *Principia disciplinarum sunt fundamenta à quibus pendent.* Considerantur in genere, vel in specie.

IX. In genere principiorum perpendenda est convenientia & efficacia.

X. *Convenientia principiorum est mutua eorum harmonia* qua in unum effectum conspirent. Qui itaque cumulant principia disciplinarum, sunt absurdi.

XI. *Efficacia principiorum est congrua eorum vis*, qua congrue conjuncta omnes disciplinas procreant, conservant, & amplificant.

CAP.

CAP. II.

De disciplinarum causis.

I. P*Rincipia Disciplinarum sunt Essentiæ, vel Cognitionis.* Illa sunt causæ disciplinarum, suntque earum scopus efficiens, materia, & forma.

II. *Scopus disciplinarum generalis, est Gloria Dei,* & perfectio hominis huic vitæ congrua. *Specialis* est scibilium cognitio eorumque usus. *Vsus* Disciplinarum est, quo Disciplina vitam humanam in quatuor statibus adjuvat, atque hic est usus omnibus disciplinis communes, quo si aliqua, vel alicujus pars careat, rejicienda est.

III. *Efficiens summa, est Deus omnis sapientiæ Oceanus, & hominis facultates, earumque status ac usus.* Facultates hominis sunt inferiores: *Sensus* vel superiores, ut *intellectus*, seu lumen rationis.

IV. *Voluptas est facultas executiva.* Cum enim homo sit corporeus, sensus sunt necessarii, ita ut nihil sit in intellectu distinctè, quod antea non fuit in sensu.

V. *Status harum facultatum est earum defectus, & erga scibilium congruentiam, seu præstantiam, affectus.* Illa est stimulus, ista magnes, Hic est Dux Contemplationis.

VI. *Vsus est facultatis inferioris; sensio vel*

superioris: ut observatio, experientia & inductio.

VII. *Sensio est corporea exteriorum cognitio;* seu est spiritalis exteriorum receptio. Hæc est certa, si sensiva, & sensibilia se certo modo habeant.

Principium sensus cognitio non solum, sed & certitudinis ac evidentiæ est; ita si quæ obscurè & dubiè sint in intellectu ad *sensum* pro evidentia & certitudine recurritur. *Commenius* in Phys.

VIII. *Observatio est congrua sensionum collectio & retentio sensionum in quarum specie sumitur*, & quarum inter se respectu objecti congruarum. Itaque rerum combinatio, seu modificatio, diligentissime attendenda est, ne diversa pro iisdem, vel eadem pro diversis habeantur.

IX. *Experientia est congrua observationum collectio & applicatio.* Ideoque ascendit gradum. In experientia proprie dicta, duo spectantur. Unum est: multi habitus memorandi præterita, ex multis recordationibus geniti, quod est quasi materiale. Alterum est, collatio rerum, sive centrum quo his habitibus memoria teneatur, quod est quasi formale experientiæ. In homine cernitur utrumque, in brutis materiale tantùm. Quod enim in homine facit collatio unius rei cum alia, id facit in brutis animantibus instinctus naturæ, seu vis naturalis. Experientia est naturalis, quæ vera est ex dicta-

ine ipsius rationis, vel supernaturalis, tà est ex dictamine Spiritus sancti.

Inductio est universalis propositionis expe-ordinatâ deductio. Ideoque primò spe-ex his generalia; denique ex his genera-fert. Atque hæc est catena invenien-aminandis ac amplificandis disciplinis rea.

Materia disciplinarum remotior, sunt ter-opinqua est terminorum combinatio, eaque ia, *Definitio* & *Distributio*, vel secunda-*gula & commentarius*. *Terminus* est vox one hominis digna. His igitur multi- multiplicantur disciplinæ, quare n Facultatum termini conjunguntur. *o* est resolutio termini in partes conjun-*istributio* in partes disjunctas. *Regula* sectarium definitionis aliquam definiti tatem explicans. *Commentarius* est su-m explicatio, demônstratio, & ampli- seu definitionis, distributionis, & re-ombinatæ notificatio. *Terminus* hic est objectæ intellectui, hunc ad illius co-em congruè dirigens; seu illam intel-certo modo ipsique incongruo repræ-; ut est ipsamet res quatenus objectivè tellectu. Objectivè esse in intellectu, e eam ipsi unitam esse.

I. *Forma disciplinarum est congruus tam um quam partium ordo.* Ejus Basis est

universalis, seu simpliciora praecedant, seu composita sequantur. Universalia sunt quae sine aliis intelligi, sine iis verò alia nunquam possunt, sive quae alia perfectè notificant. Hinc ordo hic non est arbitrarius sive necessarius & naturalis, ejus vis ei est usus insitus. Nam est mater intelligentiae & panacea memoriae. Ejus perturbatio est pestis profectus, fons monstrarum disciplinarum, & eruditionis. Hic ordo est verborum, disciplinarum anima. Nam incipit à summo intelligibili, & definit seu descendit in infimo, ita ut constituat scalam perpetuam, cujus ascensus & descensus aptissimum humanae meditationis subsidium.

CAP. III.

De Axiomatibus Disciplinarum.

I. *Principia cognitionis sunt, à quibus pendet cognitio Disciplinarum*, vocantque *Axiomata.* Ea considerantur in genere vel in specie. In genere videbimus ejus naturam & usum. *Principium cognoscendi est subjectum, quod recipit objectivum*, quod excitat & recipitur vel effectivum, quod facit, ut subjectum possit recipere objectum.

II. *Natura Axiomatum seu principiorum* cognoscitur ex eorum affectionibus & fontibus. *Affectio Axiomatum* est unitas, Claritas, & Harmonia. Atque hic est lydius laxis Axiomatum.

I. *Veritas est Axiomatum Affectio*, quæ
.1 naturæ immutabiliter congruunt. Hinc
ıecessitas, quæ est veritatis immutabili-
Quare res sunt mensuræ cognitionis no-
ıon vicissim. Hinc quoque patet absurdi-
ınem certitudinem negantium Philoso-
ım.

'. *Claritas est qua principia, sunt immedia-*
:a ut iis mens protinus assentiatur. Hinc
·facilitas, quæ est magna intelligibilitas,
ɔla consideratione, seu mentis applicatio-
:rfectè cognoscuntur Axiomata, quæ at-
ɔ vocatur penetratio terminorum. Non
ı autem in se sunt facilia, sed conclusio-
facilitatem, & claritatem largiuntur.

Harmonia est, qua axiomata sibi invicem
tiendo se mutuo explicant, probant, & am-
nt. Hæc fluit ex veritate: Nam quæ in
:rtio conveniunt, ea & inter se conve-
. Hinc quod unum negat, non potest esse
alterum. Aliud enim est vel supra vel
principium aliquid esse, aliud contra.
imis autem sua natura clarissimis sæpius
rit quædam incomprehensibilitas, quæ
ɔllit ipsorum veritatem, & necessitatem:
humanæ menti non sunt omnia com-
nsibilia.

[. *Fontes principiorum sunt à quibus profi-*
tur, & in quos ultimo resolvuntur. Hinc
ı sunt ipsorum normæ, ita ut cum eo qui

nullam harum admittit, nullatenus, qui vero aliquam non admittit, ex ea norma non sit disputandum vel agendum. Ubi notatu dignum est, ut omnis has notas rejiciens non solum sit insanus, sed etiam miserrimus.

VII. *Fontes principiorum sunt tres. Experientia, Recta ratio, & Sacra Scriptura.* NB. Hæc tria certitudinis, & veritatis criteria non esse nec esse conjunctim singula de singulis veritatibus pronunciare, sufficit si vel unum ex illis, vel duo aliquid afferant. Ubi tamen omnium trium consensus est, ibi est testificatio veritatis omni exceptione major: Aut enim nulla earum cognitio, aut hæc principia admittenda.

VIII. *Experientia est congruum, & universale sensuum testimonium*; seu est constans omnium rerum in mundo existentium consensus. Hanc qui negat, negat se esse animal.

IX. *Recta ratio*, est congruum & universale humanarum facultatum testimonium; seu est naturalis facultatum humanarum in verum, honestum, & utile inclinatio, cujus Regula est: *Omne intelligibile, volibile, & utile* est admittendum, contrarium rejiciendum; seu omne intellectui, voluntati, & potentiæ executivæ congruum, applicatæ congruum, est concedendum, incongruum negandum. Hanc qui negat, negat se esse hominem.

X. *Sacra Scriptura* est supernaturale Dei de rebus

rebus cognoſcendis, agendis, & efficiendis Teſtimonium. Ut autem patefiat ſacram ſcripturam eſſe normam, oſtendendum eſt dari aliquam ſacram ſcripturam, & eam eſſe illam, quam credimus nos Chriſtiani. Neceſſariò autem dandum eſſe principium ſupernaturale, quod duo ſuperiora ſuperet principia, demonſtrat *Dei, hominis,* & *Philoſophiæ* natura. Cum enim experientia, & recta ratio doceat hominum intellectum cæcitate, voluntatem privative, potentiam inertia ac infirmitate laborare (nam experitur ſe ſæpiſſimè errare quilibet, peccare, ſeque in hac vita nunquam beatum reddi poſſe) cumque Philoſophia, adeoque omnes diſciplinæ naturali lumine cognitæ, hanc perfectè confuſionem curare nequeant (ſi quidem ſint humanarum facultatum proles) itaque experientia doceat, nec præſtantiſſimarum, ac ad hominis cognitionem neceſſariarum rerum perfectionem, nec omnium virtute debitum exercitium, nec beatitudinem humanæ naturæ congruam, ab ipſa præſtari poſſe, ſequitur aut univerſum genus humanum fruſtra eſſe conditum, nullumque hominem attingere perfectionem ſuæ naturæ debitam (quod & humanæ & divinæ naturæ repugnat) aut dari aliquod principium cognoſcendi, *Experientia & ratione* ſuperius, quod humanæ imperfectionis, & miſeriæ originem, curam ac finem perfecte demonſtret.;

cum omnis praxis congrua præsupponat cognitionem congruam. Atque *hoc principium* dicitur *Scriptura.* Eam autem Scripturam principium esse, quam nos Christiani credimus, efficaciter demonstrat ejus doctrina verissima, præcepta æquissima, ac promissa utilissima ac certissima. Summo eminentissima, reliquis proportionalia adscribit, & ad summum ens omnia inferiora deducit. Et denique per summum ens omnia inferiora, & imperfectiora entia perfici debere docet. Nec obstat res in ea traditarum incomprehensibilitas (si quidem frustra esset, nisi quædam ratione altiora promoveret, præsertim cum ipsa ratio dictet se non posse omnia etiam naturali lumine nota, perfectè cognoscere) nec quod non omnibus hominibus nota sit. Nam summarum ens summè seu liberrimè hoc principium communicat. Ex his patet Philosophiam pædagogum esse ad *Theologiam*, & *Scripturam* esse *principium Philosophiæ*, licet non sit Philosophia, eam ergo qui negat, negat se esse Christianum.

NB. Ejus regula est. Quicquid in Scriptura continetur aut enuntiatione expressa, vel firma consequentia consentit, vel etiam dogma est quod dissentit, necessario falsum est.

XI. *Hactenus de Principiorum natura, sequitur illorum usus:* Usus Principiorum est quod ex iis omnes conclusiones adeoque disciplinæ cognos-

ioscantur. *Conclusiones* sunt propositiones rincipiis abductæ. De usu notandum in :re, quod omnis veritas, claritas & consen- conclusionum proficiscatur à principiis. : qui assentitur principiis, assentitur quo- conclusionibus inde deductis, unde ei l implicatè in aliquo continetur, ordina- e inde deducatur, non minus est assen- lum, quam ipsi principio. Hinc quoque t, quod, quo conclusio principiis est pro- , eo sit clarior. Hic itaque observatur ca- seu scala propositionum. Usus principio- est eorum operatio, quia ex sese congruen- ipplicatis omnes conclusiones demon- t.

II. *Usus principiorum est genesis vel analy-* *Genesis* est conclusionum ex principiis de- io, ea oritur ex congrua Principiorum unctione. Hinc requiruntur tres proposi- :s in *Syllogismo*. Hæc progreditur à sum- per media ad infima.

III. *Analysis est conclusionum in princi- ·eductio.* Hæc regreditur ab infimis per ia ad summa. Est lapis Lydius omnis tiæ.

IV. *Principia in specie sunt*, 1. *Incom- t, vel complexa*. 2. *Primitiva, vel de- iva*. 3. *Communia vel propria*. 4. *Natu- , supernaturalia, vel mixta*.

V. *Principia incomplexa sunt termini sim-*

plices disciplinarum; seu voces Encyclopædiæ. Principia complexa sunt congruæ incomplexorum conjunctiones. Congrua conjunctio est quæ terminorum definitionibus non repugnat. Hinc quo major est terminorum copia, & intelligentia, eo major est propositionum seges expectanda.

XVI. *Principia primitiva sunt quæ ab aliis non descendunt*, sed alia ab ipsis. *Derivativa* quæ aliorum sunt conclusiones; ideoque alio respectu principiorum, alio respectu conclusionum nomen retinent. Ideoque sunt prima, secunda, tertia &c. Principia autem quorum talia sunt inde monstrabilia, adeoque primum simpliciter est inde monstrabile. Si autem principium summum seu simpliciter primum non dantur, datur progressus in infinitum in ordine principiorum qui est absurdus. Est autem primum principium hoc: *Ens* est ex terminis primis combinatum. Alias evidentiæ causa sic proponitur. *Impossibile est idem esse, & non esse*. Hujus principii usus est infinitus, nam pro ratione terminorum omnia falsa destruit, & omnia vera probat, distinctione vero quatuor legum oppositionis omnia vera defendit. Si dantur progressus in infinitum in ordine principiorum, nulla datur certa, evidens, determinata scientia, adeoque veritatis cognitio; scire enim est, rem per suam causam, eamque propriam, & immediatam cognoscere. Itaque opor-

oportet dari primum aliquod, & summe principium, quo judice possint subalterna principia, atque ex his dependentes veritates demonstrari.

XVII. *Principia communia sunt quæ plurimis disciplinis conveniunt, propria, quæ uni tantum*, non est autem μετάβασις εἰς ἀλλογένος; seu trânsitus è genere in genus, si ex communibus principiis aliquid demonstretur, sed si propria confundantur.

XVIII. *Principia naturalia sunt, quæ lumine solo naturæ, supernaturalia, quæ lumine Scripturæ solo, mixta, quæ utroque modo cognoscuntur.* Potest enim aliquid fieri & scientiæ objectum esse, licet modus essendi sit diversus. In principiis supernaturalibus duo sunt accurate perpendenda. 1. Termini ipsi ex quibus axioma constat. 2. Nexus seu relatio, & respectus prædicati cum subjecto. Illi naturaliter possunt & debent intelligi, adeoque ex natura explicari. Hic propterea apud nos fidem habet quia (cum natura eam cohærentiam scire non poterimus) Deus qui mentire nescius est id rei sic esse asserit. In principiis natura simul & scriptura notis, Scriptura debet rationem mancipare, & ad obsequium cogere, quæ purè fidem, & pietatem concernunt. Ac in iis quæ pertinent ad merum naturæ statum & ad salutem necessario non pertinent. Ratio quoque suum exercet jus quatenus,

nus inquirit in eorum causas quæ ipsi duce & judice scriptura proposita sunt, eaque dijudicat vel examinat.

CAP. IV.

De Attributis Disciplinarum.

I. H*Actenus de Disciplinarum principiis, sequuntur ipsarum Attributa.* Attributa disciplinarum sunt affectiones, & operationes ipsarum principiis congruæ. Unde sunt omnium disciplinarum, tam constituendarum, quam examinandarum norma, seu criteria. Tractabimus autem cum affectionibus operationes.

II. *Affectiones disciplinarum, sunt absolutæ, vel relatæ.* Absolutæ sunt, quæ cuilibet disciplinæ in se spectatæ conveniunt, seu sunt intrinseca disciplinarum congruentia. Affectiones absolutæ sunt, utilitas homogenea & methodus cujusque disciplinæ, quæ omnes deducuntur ex definitione disciplinæ.

III *Utilitas disciplinarum est,* quâ quælibet earum hominem suæ naturæ cogruè perficit. Hinc cujusque disciplinæ officium est corrigere, dirigere, & pro rata parte perficere. Cum enim sit habitus necesse est ut habeat congruè subjectum, item necesse est ut habeat congruè finem. Cum denique habitus sit activitas, debet habere congrua media.

NB, Ve-

NB. Vera utilitas rerum ex supremo fine æstimanda est, ut quæ ad illum magis conferunt, verè utiliora merito censeri debeant. Fonsec. lib. 1. metaph. pag. 39.

IV. *Quia quælibet disciplina habet congruum subjectum*, oportet ut habeat certam facultatem hominis quam informet. Certum quoque objectum de quo informet, & certum finem cuique quem informet. Illud vocatur subjectum Informationis. Istud Tractationis. Hoc Operationis, quæ tria in omnibus disciplinis evolvenda & distinguenda sunt.

Subjectum disciplinarum est id cujus cognitione homo perficitur. Subjectum informationis, est certa hominis facultas, quam disciplina instruit, ut sciat.

Subjectum tractationis est certa rerum veritas quam disciplina repræsentando notificat facultati hominis certæ. *Subjectum operationis est* certa res circa quam cognitio disciplinæ ad usum est applicanda, seu circa quam veritatis cognitio exerceri ac operi applicari debet.

V. *Quia quælibet Disciplina habet finem congruum*, oportet ut habeat finem possibilem, bonum, seu dignum & sibi congruum sive adæquatum: Etsi enim omnes disciplinæ habeant finem communem, scilicet perfectionem hominis, tamen quælibet earum certam partem istius perfectionis impertit. Unde disciplinarum varietas resultat.

Fi-

Finis possibilis disciplinarum est, qui ab illis obtineri aptus est. Dignus est, qui naturæ humanæ rectitudinem repræsentat, & dirigit. Adæquatus est quià sola & tota sua disciplina intenditur, sic prout ejus est. Itaque finis disciplinarum est certa hominis perfectio, quæ est digna & possibilis habitu ipsique disciplinæ, cujus est commensurata, ad quam repræsentandam, & repræsentando regendam illa tendit.

VI. *Media disciplinarum sunt congrua earum præcepta*, quibus finis ipsarum in subjectum congrui introducitur, cum fini qui est perfectio hominis illa præcepta debeant congruere, oportet ut sint vera & bona. Vera erunt si res uti sunt docentes illam & eo modo hominis perfectionem repræsentando regant, quæ & quomodo est finis disciplinæ ejus, cujus illa præcepta sunt media. Vera autem sunt, non solum affirmata, sed & negata: Excellunt tamen quæ sunt καταλεπρωτα. Bona erunt si ad illam perfectionem quærendam, & acquirendam conducant, adeoque apta nata, & sufficientia sint.

Præcepta disciplinarum, sunt ordinatæ notionum combinationes, quæ homini veritatem repræsentando, ipsum suæ naturæ convenienter secundum illam corrigunt, dirigunt, & perficiunt.

VII. *Subjecto, quod est homo*. Cum congruere-

re debeant oportet ut sint facilia. h. e. talia quæ ab ipsis facultatibus illius citius quam finis obtineri queant. Dantur tamen pro objectorum diversitate facultatis gradus.

VIII. *Utilitati opponitur futilitas*, qua disciplinæ earumque partes vel nullum finem subjectum aut objectum, vel studio hominis indignum habent, aut plane non, aut difficillime procurant.

IX. *Homogenea disciplina est, qua ipsa ipsiusque partes sibi congruunt*, seu quæ circa eundem finem, subjectum vel objectum sub eadem ratione communi (formati) quælibet disciplina sola & tota occupatur. Ubi nota discrimen Disciplinarum posse esse commune subjectum materialiter (ratione rei considerata) sed non formaliter; seu quoad modum considerandi. *Hæc est lex justitiæ*, quæ nihil alieni admittit. Ei opponitur *Heterogenea*, cum omnes disciplinæ promiscuè infarciuntur quæ quomodolibet eam respiciunt, unde oritur Chaos studiorum.

X. *Methodus Disciplinæ est congruus ejus ordo*. Congruus ordo est qui partes disciplinarum postulat, idque juxta perpetuam legem supra traditam.

Generalia & simplicia præcedant. Specialia & composita sequantur. Hæc omnem obscuritatem, difficultatem & multitudinem tollit. Nam ea proponit, quæ discenti notissima sunt, iisque

iisque tum ad sequentia intelligenda ac retinenda disponit. Invenitur autem partium accurata inter se collatione. Ei opponitur confusio, quæ est mater obscuritatis, ac incongruæ multitudinis.

XI. *Affectiones disciplinarum relatæ sunt*, quæ disciplinis inter se collatis competunt. Suntque Harmonia & Subordinatio. Illa affinitati. Hæc consanguinitati confertur.

XII. *Harmonia* est arctissima omnium disciplinarum convenientia & consensio. Unde mutuum illarum oritur auxilium & commercium.

XIII. *Subalternatio disciplinæ* est, qua una disciplina ex altera pendet, seu est disciplinarum subordinatio. Hinc subalternans est mensura subalternatæ. Subalternatio hæc est prima, secunda, tertia, quarum prior semper est major posteriore. Subalternatio prima est qua disciplina ab alia quoad subjectum & proxima principia pendet. Sic Optica Geometriæ: Medicina Physicæ subalternantur. Harum subjecta differunt tantum accidentaliter.

In subalternatione subjecto quidem, seu re considerata aliquo modo conveniunt, differunt autem modo considerandi disciplinæ. Subalternata à subalternante sumit principia, ad demonstrandas suas conclusiones, & sic reperitur subordinatio non tantum inter disciplinas mathematicas, sed etiam inter alias. Hinc im-

impossibile est. 1. Ut disciplinæ subalternæ quæ differunt, ut subalternans & subalternata, ut superior & inferior eandem planè essentiam specificam habeant, & sic una sint numero. Ars deinde 2. ut subalternatæ nomen subalternantis attribuatur; ita enim Geometria, Musica & Aritmetica essent Optica, & vicissim. 3. Denique ut subalternata non tantum principia, sed etiam affectiones demonstrandas ex subalternante sumat. Ita enim nihil haberet peculiare.

XIV. *Subalternatio secunda est qua disciplina pendet ab alia* quoad subjecta & principia remota. Hic subjecta se habent ut genus & species. Ita omnes Disciplinæ subalternantur metaphysicæ.

XV. *Subalternatio tertia est qua disciplina ob alia pendet*, vel tantum quoad subjectum, vel tantum quoad finem. Hoc est ultima vel non ultima.

CAP. V.

De Divisionibus Disciplinarum communibus.

I. HActenus de convenientia disciplinarum, *sequitur ejus differentia.* Divisiones Disciplinarum, sunt communes vel speciales. Divisiones communes sunt, quæ se immeant, seu quarum una subdividit aliam. Divisiones disciplinarum

plinarum generales exprimunt tantum diversos earundem respectus non species.

II. *Divisiones disciplinarum hæ sunt*, 1. quęlibet disciplina est generalis vel specialis. 2. Interna vel externa. 3. Prior vel posterior. 4. Theoretica vel Energetica:

III. *Disciplina generalis est* quæ versatur circa suum objectum in genere spectatum. Specialis est quæ versatur circa objectum modificatum seu certis circumstantiis terminativè. Hæc est colophon generalis, estque praxi proxima. Divisio autem hæc non est generis in species, sed integri in membra partitio. Generalis est magistra sapientiæ, specialis prudentiæ. Quia omnis disciplina vel versatur circa subjectum generale, vel speciale, & usum habet generalem vel specialem. Ideoque hoc duplici respectu optime dividitur in generalem & specialem, etsi enim quædam sint generales ratione usus quem præstant aliis artibus, tamen ratione subjecti tractationis non sunt generales. Nec obstat hanc divisionem non tantum diversis disciplinis competere, si etiam unius ejusdemq; artis partibus. Id enim fit propter defectum vocabulorum, qui multis aliis rebus accommodari possunt, res autem quæ significatur per ea non item. Deinde etsi speciale sub generali comprehendatur, tamen hæc inter se consentiunt, quatenus unum non est alterum, non autem quatenus unum subaltero comprehenditur. IV.

IV. *Disciplina externa est* compages praeceptorum homogeneorum, & methodice delineatorum, ac in vita humana utilium.

Interna est habitus mentis ipsius circa res cognoscibiles, congruam operationem repraesentans, & repraesentando regens, consideratur in genere vel in specie.

V. *In genere de ea notentur sequentia* 1. Habitus est qualitas seu vis activa permanens facultati addita. 2. Quia est qualitas, habebit certum subjectum, in quo radicetur, & quod afficiat & modificet: quia est qualitas permanens, distinguitur ab actu, habebitque actum. 3. Quia est qualitas seu vis addita, utique non erit à sola natura producta, secus esset superflua. Deinde reddet faciliorem actionem facultatis, unde omnes actiones hominis perfecte fluunt ex habitu. 4. Habitus in genere est. 1. Totalis vel partialis. 2. Simplex vel mixtus. Habitus totalis est qui determinat facultatem ad objecti partem, seu objectum inadaequatum. Habitus simplex est qui facultatem ad unius generis objectum uno modo determinat. Habitus mixtus est qui facultatem, vel ad varia objecta, vel ad idem objectum, sed vario modo determinat. Hinc datur combinatio habituum, corporum vel colorum combinationi analoga. Habitus intellectus perfectè combinatus, est Encyclopaedia.

VI. *In specie habitus est intellectualis vel moralis.*

ralis. Ille intellectui, hic voluntati additus. Uterque est bonus vel malus. Nos persequemur intellectuales.

VII. *Habitus intellectualis est* qui intellectum in cognitionem inclinat, seu qui intellectum rei cognoscendæ unit (id si faciat congruè est verus, si incongruè falsus, si immutabiliter necessarius, si mutabiliter contingens, nos hic de veris & necessariis agemus, cæteri enim sunt potius intellectus imperfectiones) estque naturalis vel supernaturalis, seu naturæ vel gratiæ. Ille indagine & exercitio humano, Hic revelatione & institutione divina acquiritur, excolitur, ac perficitur.

VIII. *Habitus intellectualis naturalis, est* qui ex intellectu efficaci actionis naturalis educitur. Hic non requiritur ad cognitionis essentiam, sed gradum ejus ac modum, ejus principia sunt natura quæ incipit, Ars quæ dirigit, & exercitatio quæ perficit. Habitus autem naturalis non pugnat cum supernaturali, sed iis subordinatur, estque quædam eorum præparatio. Estque primitivus vel derivativus.

IX. *Habitus naturalis primitivus est,* qui intellectum principiis disciplinarum congruè unit, vocatur Aristoteli νοῦς. Hic à quibusdam ob facilitatem dicitur innatus: Nam sola mentis vehementi ad objectum applicatione acquiritur. Unde derivatorie est fons & origo. Est autem

autem Aristoteli unum ; sed recentiores eum dividunt in intelligentiam, syntheresin & intellectum organicum.

X. *Intelligentia est habitus principiorum veritatis V. G.* totum est majus sua parte, estque radix reliquorum : nam practica fluunt ex theoreticis. Hæc principia prima enunciant per *est*. Syntheresis est habitus principiorum honestatis, Hæc enuntiat principia intelligentiæ per *debet*. *V. G.* totum debet esse majus sua parte. Intellectus organicus est habitus principiorum utilitatis (artificialium) hic enuntiat principia intelligentiæ per *potest* vel *erit*, ut totum potest esse majus sua parte, totum erit majus sua parte.

XI. *Habitus derivativus est*, qui intellectum congruè unit conclusionibus, hic magnam requirit exercitationem. Estque Theoreticus practicus, vel Poëticus.

XII. *Habitus Theoreticus est* qui versatur circa conclusiones veritatis, estque scientia vel sapientia.

XIII. *Scientia est habitus conclusionum veritatis ex principiis propriis & non primus demonstrata.* Seu est habitus demonstrativus, seu est habitus proprietatis, de certo subjecto per propria principia demonstrans. Demonstrat enim certa attributa de certo subjecto ex principiis immediatis, non autem semper ob defectum nostrum ex proximis, sed sæpe ex propriori-bus.

bus. Eſtque à priori ſeu *διότι*, vel à poſteriori ſeu *ὅτι*. Illa effectum ex cauſa: Hæc cauſam ex effectu demonſtrat.

XIV. *Sapientia eſt habitus concluſionum veritatis ex principiis primis demonſtratarum.* Seu eſt habitus ex intelligentia & ſcientia mixtus. Quia eſt intelligentia, tradit prima & generaliſſima omnium diſciplinarum principia. Unde dicitur ſcire omnia non diſtinctè, ſed confuſè. Quia eſt ſcientia habebit certum ſubjectum quod eſt ens, de quo demonſtrat certa attributa, quæ ſunt modi per prima principia. Hinc quædam ſine demonſtratione, quædam per demonſtrationem cognoſcit, quæ demonſtratio non requirit vocalem terminorum diſtinctionem, ſed contenta eſt diſtinctione rationis.

XV. *Habitus derivativus poëticus eſt*, qui verſatur circa concluſionem honeſtatis. Eſtque prudentia.

XVI. *Prudentia eſt habitus cum recta ratione activus.* Actio eſt productio honeſti. Prudentia non repugnat ſuperioribus habitibus, ſed eos applicat. Nam generaliſſima principia miſcet, ex iiſque concluſiones circumſtantiis accommodatas demit. Hinc habitus præcedentes tradunt jus naturæ, & gentium. Hic jus civile ſeu poſitivum, eoque nec ſuperiori nec alii poſitivo, ſive in eadem, ſive in diverſa Republica ſic repugnat, quia leges oppoſitionis non ſervantur.

XVII. *Ha-*

XVII. *Habitus derivativus poëticus*, est qui versatur circa conclusiones utilitatis. Estque Ars.

XVIII. *Ars est habitus cum recta ratione effectivus*. Effectio est boni utilis productio, seu est productio artificii.

Artificium est res à facultate intelligentis naturæ secundum regulam ad usum vitæ facta, sive illud sit internum, sive externum. Ars autem non suppeditat materiam, sed tantum instrumenta, unde tota consistit in usu.

XIX. *Habitus intellectualis supernaturalis est* qui efficacia actionis gratiosæ in intellectum est introductus, seu est habitus à primo agente intellectui infusus. Hic est Colophon habitus naturalis. Quia autem est infusus, non præsupponit in facultate potentiam activam, sed obedientialem & tantum remotè congruam. Atque hic est cathologus omnium habituum verorum, ex quibus omnes nostras actiones educere, & ad quos eas omnes examinare debemus. Hæ autem actiones ex habitu profectæ, sunt vel simplices, quia ab uno habitu; vel materiæ, à pluribus conjunctis profectæ. His veris habitibus & necessariis opponitur error habitualis. Estque vel incogitantia, vel ignorantia, vel insipientia, vel imprudentia; vel inertia affectata, sive sit naturalis sive supernaturalis. Error principiis oppositus, solet vocari *Bestialis*.

XX. *Disciplina prior est*, quæ aliam antecedit, *posterior* quæ aliam sequitur: est autem illa prioritas & posterioritas ordo, ratione inventionis, dignitatis, doctrinæ & dependentiæ.

XXI. *Ordo inventionis est*, quo disciplinæ speciàliores & magis necessariæ, prius generaliter, ac minus necessariæ posterius sunt inventæ.

XXII. *Ordo dignitatis est* quo disciplinæ ratione objecti & finis nobiliores præstant, ignobiliores vero cedunt aliis. Hinc quo nobilius est objectum vel finis, eo nobilior est disciplina. Nam finis præstat mediis. Unde vita activa præstat contemplativæ.

XXIII. *Ordo doctrinæ est*, quo generaliores disciplinæ sunt præmittendæ specialioribus, ad faciliorem & perfectiorem intelligentiam. Hic ordo est retrogradus respectu inventionis ordinariæ, neque hic est distinguendum, inter accuratam & faciliorem intelligentiam, ac cognitionem: nam accuratissima cognitio est etiam facillima, si solida & distincta cognitio intendatur.

XXIV. *Sicut se habet res in essendo, ita & in cognoscendo*, ratione cognitionis perfectæ, distinctæ ac solidæ. Quod igitur primum est secundùm naturam, id etiam fermè primum est secundùm cognitionem distinctam.

Ordo dependentiæ est quo subalternatæ à subalter-

alternantibus quoad essentiam dependent & cognitionem. Unde subalternans ratione doctrinæ præmittenda est subalternatæ.

XXV. *Disciplina Theoretica est* quæ veritatis cognitione acquiescit: dicitur contemplativa, vel speculativa, & disponitur Methodo Synthetica h. e. de subjecto per principia demonstrat affectiones; idque in genere vel in specie

XXVI. *Disciplina energetica est* quæ veritatem cognitam producit, seu exequitur. Ideoque præsupponit Theoreticam. Hæc disponitur methodo analytica, h.e. finem introducit in subjectum per media. Idque in genere vel in specie. Estque practica vel poëtica. Illa etiam activa, hæc factiva dici solet.

XXVII. *Disciplina Practica est*, quæ producit actionem honestam, seu cum virtute conjunctam, i.e. virtuosam. *Disciplina Poëtica* est quæ producit actionem artificiosam, seu cum utilitate conjunctam.

CAP. VI.

Tabula seu Catalogus Disciplinarum.

I. SEquuntur *speciales Disciplinarum divisiones*, quæ ab objectis & finibus earum tam seorsim, quam collectim sumptis, petendæ sunt. Divisiones autem disciplinarum speciales sunt, quæ eas omnes & singulas in suis sedi-

bus & locis propriis determinando ipsarum nativam seriem atque ordinem naturalem exprimunt ac repreſentant.

II. *In ſpecie diſciplinæ ſunt ſimplices vel combinatæ.* Diſciplina ſimplex eſt quæ ex aliis ſpecie diverſis diſciplinis non conſtat, eſtque liberalis, vel illiberalis.

III. *Diſciplina liberalis eſt,* quæ nobiliores & interiores hominis facultates proximè ac præcipuè perficit (harum in Accademiis citantur datores) eſtque naturalis vel ſupernaturalis.

IV. *Diſciplina liberalis naturalis eſt*, quæ perfectionem humanarum facultatum nobiliorem naturæ poſſibilem introducit. Eſtque primitiva, vel derivativa. Illa etiam Inferior, hæc Superior vocatur.

V. *Diſciplina naturalis primitiva eſt* cui omnes reliquæ fluentes ex ea nituntur. Eſtque Philoſophia.

VI. *Philoſophia eſt diſciplina naturalis*, quæ reliquarum omnium principia tradendo humanarum facultatum perfectionem inchoat. Hinc qui non eſt Philoſophus non poteſt ſequentes diſciplinas perfectè cognoſcere. Eſtque Theoretica vel Energetica.

VII. *Philoſophia Theoretica eſt* , quæ veri naturalis cognitione perficit intellectum. Contemplatio, eſt naturalis rerum veritatis ſyncera inveſtigatio ac dijudicatio. Hinc Philoſophia Theo-

Theoretica est fons & basis sequentium. Estque generalis, vel specialis.

VIII. *Philosophia Theoretica generalis est* quę entis naturam in communi contemplatur, estque Metaphysica.

IX. *Metaphysica est* sapientia Entis, seu quæ tradit terminos & axiomata omnibus disciplinis communia. Unde est radix reliquarum omnium, & ad eam revocandi sunt termini nulli sequentium proprii. Hinc est universalissima disciplina, tradens ea quæ in omni scibili sunt necessaria, ut sunt 1. Termini communissimi. 2. Principia prima & causæ primæ atque supremæ. 3. Distinctiones universalissimæ, in omni eruditione necessariæ, earumque fundamenta & modi. 4. Summa rerum genera, eorumque species, uti sunt Subjectum, Adjunctum: hoc sc. est quod dicitur Metaphisicum, omnia considerare in quantum sunt, aut esse habent, nempe id explicat quod est in omnibus rebus, videlicet τὸ esse rei essentiam & essendi conditiones, modos & attributa, quæ non tantum in creaturis, sed etiam in ipso Deo, modo tamen prorsus eminentiori reperiuntur & notantur, nec obstat imitationem communem principiorum & attributorum, quibus res aliarum disciplinarum conveniunt, pertinere ad Logicam. Illa enim neque omnia pertinent ad Logicam, neque alia ratione, quam quatenus ad modum bene differendi & sciendi conferunt.

 X.

X. *Disciplina Theoretica specialis est* quæ circa certam entis speciem versatur, estque scientia: ea agit de substantia & accidente: de substantia àgit Pneumatica, vel Physica. *Pneumatica* est scientia spiritus accuratè dicti seu substantiæ indivisibilis. Ideoque agit de Deo, Angelis, & animabus separatis.

XI. *Physica est scientia corporis naturalis.* Demonstrat autem attributa corporea de corpore naturali per materiam & formam.

Naturale est, quod à natura est, & in natura. Sic in omnibus rebus est naturalis agendi vis. Deinde naturale est, vel quod simplici & immutabili necessitate naturæ inest; ita ut fluat à principiis naturæ. Sic igni naturale est urere, homini intelligere, vel quod natura inclinat, sed mediante libero arbitrio completur; ut cum homo loquitur, videt; naturaliter hæc facit, sed mediante libera voluntate, Prodr. pag. 149. Deinde naturale dicitur, quod ex principiis naturalibus fluit, vel dicitur tale ratione propagationis: dum natura peccatum originale dicitur naturale ratione propagationis, concomitantiæ, non ratione principii, sic enim est morale.

XII. *Disciplina Theoretica agens de accidente dicitur Mathematica.* Mathematica est scientia quantitatis seu accidentis primo divisibilis. Estque abstracta, vel concreta, seu generalis, vel specialis.

Abstracta

Abſtracta eſt quæ agit de quantitate ſimplici, eſtque Arithmetica vel Geometria.

XIII. *Arithmetica* eſt ſcientia numerorum, ſeu quantitatis diſcretæ. Quantitas diſcreta eſt cujus partes ſunt ſejunctæ ſeu communi termino non copulatæ.

XIV. *Geometria* eſt ſcientia magnitudinis; ſeu quantitatis continuæ: quantitas continua eſt cujus partes communi terrmino continentur, copulantur.

XV. *Mathematica concreta* eſt quæ agit de quantitate combinata: quantitas combinata vel combinatur cum ſubſtantia, vel cum accidente. Mathematica quæ agit de quantitate cum ſubſtantia combinata, vocatur *Sphærica*.

XVI. *Sphærica* eſt ſcientia globi mundani. Eſtque generalis, ut Coſmologia, vel ſpecialis, ut Aſtronomia & Geographia. Illa agit de mundo; iſta de ſphæra cœleſti. Hæc de Sphæra terreſtri.

XVII. *Mathematica agens de quantitate cum accidente combinata* eſt Iſorhopica, Optica, Muſica, vel Architectonica. Iſorhopica eſt ſcientia ponderum. Optica eſt ſcientia liniæ viſivæ. Muſica eſt ſcientia ſonorum. Architectonica eſt ſcientia ædificandi; ſeu congruam figuram domiciliis tribuendi. Quantitas cum accidente combinatur cum qualitate.

XVIII. *Philoſophia Energetica eſt* quæ veritatem Philoſophicam exequitur, eſtque

practica vel poëtica. Veritatem producere est operari id quod cognoscitur.

XIX. *Philosophia practica est* quæ producit actionem Philosophicè honestam. Estque prudentia generalis, vel specialis. Actio honesta est quæ producitur convenienter, seu quæ congruè rerum excellentiæ, naturæ, & statui.

XX. *Philosophia practica generalis est* quæ agit de honestate Philosophica in genere. Estque Historica vel Ethica. Historica est prudentia honestatis confusa, seu quæ honestatem exemplis, vel singularibus docet. Ethica est prudentia honestatis distincta, seu quæ præcepta universalia docet de honestate.

XXI. *Philosophia practica specialis est*, quæ agit de honestate Philosophica in specie. Est *Symbiotica*. Symbiotica est prudentia societatis. Hæc sufficit, nec opus est *Monastica*, vel *Eremetica*, quæ agat de vita monastica, quoniam hæc vita est absurda, humanæque naturæ incongrua. Estque *Oeconomica*, *Politica* & *Scholastica*. Illa, est prudentia societatis privatæ. Ista, est prudentia Societatis civilis, seu Reipublicæ, Hæc est prudentia Scholæ regendæ, seu Juventutis informandæ.

XXII. *Philosophia Poëtica est*, quæ producit actionem Philosophicè artificiosam: dicitur Ars. Estque Logica vel Mnemonica. Operatio artificiosa est quæ congruit Ideæ.

XXIII. *Logica est ars facultatis* quæ rerum

rum ideam cognoſcit atque exprimit, eſtque pura vel mixta.

Ars Logica eſt quæ docet modum rerum notitiam acquirendi, & aliis communicandi. Seu eſt ars rerum Ideas diſtinctè, bene ſibi imprimendi, & aliis exprimendi.

XXIV. *Ars Logica pura eſt* quæ proximè unum reſpicit objectum & finem: eſt orationis & rationis.

XXV. *Ars orationis eſt* quæ facit ſermonem artificioſum. Eſtque prima, vel ſecunda. Prima eſt quæ agit de vocibus ſeparatis. Eſtque Lexica. Lexica eſt ars quæ agit de demonſtratione ſignificationis vocum ſingularum. Secunda eſt, quæ agit de vocibus combinatis, ſeu quæ agit de vocum adſignificatione. Eſtque *Grammatica* vel *Rhetorica*. *Grammatica* eſt ars pure (bene) loquendi, ſeu eſt ars quæ agit de vocum adſignificatione natura, i. e. prima. *Rhetorica* eſt ars bene dicendi, ſeu quæ agit de ſignificatione & adſignificatione vocum addita, ſeu ornata.

XXVI. *Ars Rationis eſt* quæ facit cognitionem artificioſam, eſtque *Dialectica*. *Dialectica* eſt ars bene diſſerendi, ſeu recta ratione utendi.

XXVII. *Ars Logica mixta eſt* quæ orationem ac rationem informat, eſtque *Oratoria*, *Poëtica*, vel *Semantica*. Oratoria eſt ars bene perſuadendi. Eſtque generalis reſpectu ſe-

B 5 quen-

quentium. Poëtica est ars ligatè perorandi, seu certis legibus dicendi. Semantica est ars ingeniosi animi sensa significandi Ars ut hactenus incognita, ita omnibus hominibus, præsertim Principibus utilissima.

Estque *Poligraphia*, vel *Steganographia*; illa est ars variis modis sensa animi significandi: huc pertinet *Hyeroglyphica, Ænigmatica, Typica* similesque artes.

XXVIII. *Mnemonica* est ars memoriæ. Hanc præceptis juvari posse docet ratio & experientia.

Hactenus de disciplina naturali primitiva, sequitur derivativa quæ ex primitiva Philosophia fluit, estque medicina & Jurisprudentia.

Medicina est ars sanitatis; Sanitas est status corporis congruus.

Iurisprudentia, est ars æquitatis. Æquitas est congruus humanæ societatis status.

Sequitur disciplina liberalis supernaturalis, quæ vocatur Theologia. *Theologia* est disciplina supernaturalis, quæ deducit ad vitam æternam, i. e. ad summam supernaturalem perfectionem; est itaque habitus eminentissimus, qui in se intelligentiam, sapientiam, scientiam, prudentiam & artem supernaturalem perfectè continet usu. Singularia traduntur in sacra Theologia non quia de iis principaliter tractetur, sed introducuntur in exemplum vitæ.

CAP.

CAP. VII.

Tabula artium Mechanicarum.

I. *Disciplina illiberalis seu mechanica est* quæ externum hominis statum ac facultates proximè perficit.

II. *Artes mechanicæ* sunt considerandæ in genere & in specie: in genere videndæ sunt earum affectiones & communes divisiones.

III. *De affectionibus artium mechanicarum* notentur sequentia.

1. Experientia est præcipua artium mechanicarum mater, quam humana necessitas produxit, & aluit; Recta ratio correxit & auxit. Hinc artium mechanicarum, præsertim illustrium, inventores habiti sunt pro Diis & hominibus. Unde ortæ poëtarum ἀποθέωσις.

2. Physica est mechanicarum basis, mathematica clavis, sunt enim hujus applicatio & praxis.

3. Omnis ars intendit hominis aliquam perfectionem. Unde falsæ, inhonestæ, & ineptæ, hoc est, impossibiles, vel ipso scopo difficiliores sunt proscribendæ.

Hinc patet ipsarum in omnibus vitæ humanæ Oeconomico imprimis & Politico ordini necessitas & utilitas, ita ut merito hominis manus & pedes vocentur. Hinc cultura & incrementum artium illiberalium est longe

majus, quam artium liberalium.

4. Adamantina est artium mechanicarum connexio & harmonia. Unde orificium & mutuum earum auxilium & commercium. Facit enim una ad alterius intentionem, conservationem, excitationem & amplificationem.

5. Omnis disciplina mechanica est ars, & artificiosè aliquid efficit, adeoque in praxi consistit.

6. Etsi mechanicarum artium praxis propria sit hominum mechanicorum, tamen illarum recensio & censura pertinet ad Philosophum. Nam sine iis nec perfectè artium liberalium genesis, nec analysis absolvi potest.

IV. Divisiones artium mechanicarum communes sunt, quæ se immeant, ex quarum una multiplicat aliam. Illustriores sunt sequentes.

1. Ars mechanica est communis, quæ multis inservit, vel specialis, quæ peculiarem scopum intendit.

2. Est simplex vel combinata. Illa est quæ circa unum objectum uno fine: Hæc quæ circa varium objectum variis modis versatur.

3. *Ars Mechanica* vel præparat vel utitur. Illa est quæ materiam producit. Hæc quæ materiam productam, vel præparatam applicat.

4. *Est subalternans*, cui aliæ inserviunt, vel subalternata quæ aliis inservit.

5. Artis mechanicæ proximus scopus vel est opus,

opus vel opera. Illa effectum post se relinquit: hujus ultimus scopus est actio quædam.

6. *Ars mechanica est analytica*, quæ in subductione, ut Lanius, vel genetica, quæ in additione, ut Sartor consistit.

7. *Ars mechanica* respicit utilitatem, seu jucunditatem, seu ornatum.

V. *In specie videnda est Artium mechanicarum distributio*, de qua notentur sequentia.

1. Divisio mechanicarum petenda est ab objecto & scopo, maxime autem à scopo.

2. Certam esse artium mechanicarum periodum, ita ut diverso tempore crescant, vel decrescant.

3. Non hominum voluntate & usu, sed natura illarum differentiam esse metiendam.

4. Magnam hic esse vocabulorum penuriam, ita ut sæpius fingenda sint nova.

VI. Ars mechanina respicit hominis generationem vel conservationem. Illa studet ut homo sit: Hæc uti perbene & commode sit. Ibi est ars obstetricum quæ hominis nativitatem promovet.

VII. *Ars quæ facit ut homini bene sit* est primitiva, vel derivativa. Illa est quæ artificiosè rem novam producit: Ista versatur circa hominem vivum vel mortuum: quæ circa hominem vivum versatur facit ut homini vivo bene sit.

VIII. *Ars mechanica primitiva*, versans circa

teriæ figuram. Hæc mutat. Ad primam pertinent Fornatores, Arcularii, Doliarii, seu Victores. Circa flexibilem vel totam Storcarii viminei, & corbium artifices, vel partem, ut sunt restes, fila, similiumque docentes;

XIX. *Ars mechanica, quæ motui inservit, vel facit hoc immediatè vel mediatè*. Immediatè agunt Bajuli. Mediatè vel tantum à movendo, quo pertinent fossores, omnesque generaliter purgantes, vel promovendo & movendo. Idque vel mediantibus animalibus, quo pertinent Aurigæ & Cursores omnes, vel inanimatis. Artifices qui movent inanimatis, utuntur machinis, adeoque valde propinqui sunt Mathesi. Iique sunt terrestres. qui in sicco & per siccum aliquid movent. V. G. Trocheas, Arietes, Fundos &c. vel nautæ qui in aquis & per aquas aliquid movent.

XX. *Ars mechanica hominem specialiter conservans* est quæ necessariis à communi procuratis speciali fine utitur: ea est alimentaria & propugnatoria. Illa addit homini congrua; Hæc removet incongrua. In quibusdam tamen datur utriusque conjunctio.

XXI. *Ars mechanica Alimentaria* est, quæ circa alimenta versatur. Alimenta sunt res ab homine assumptæ, intrinsecus eum conservantes. Alimentaria est communis vel specialis. Communis est quæ materiam alimentorum præparat, eam vel procurando, ut Olito-

ria

ria, Condimentoria: vel purgando & separando, ut Molendinaria, Cribratoria. Quæ circa plantas. Ars Lanionum, quæ circa animalia versatur.

Ars alimentaria specialis est quæ ipsa alimenta parat, dicitur coquinaria: ea vel parat cibos, ut cibos coquinaria strictè dicta, vel potum ut cerivisiaria.

XXII. *Ars mechanica propugnatoria* est quę incongrua removet. Ea vel futura incommoda cavet obstaculis, vel præsentia tollit remediis. Utraque præsupponit peccatum quæ parat obstacula. Illa parat vel contra incommoda naturalia, potestque vocari tectrix: Vel contra incommoda voluntaria, estque Armatrix. Tectrix parat tegumenta vel Ædificia.

XXIII. *Ars mechanica parans tegumenta* est quæ circa obstacula mobilia humanoque corpori applicabilia versatur. Ea est communis vel specialis. Communis est quæ circa tegumentorum materiam versatur, eam vel procurando, quo pertinet Lanarium Sericarii, vel tractando, quæ tractat materiam & purgat eam, removendo incongrua, ut Carminatores, Fullones, Coriarii, Pelliones, Alutarii: vel componunt eam ut Textores, Lanei, Linei. Huc etiam sunt referendi ii qui partes vestium conficiunt, ut Fibularii, Ligularii: vel ornant, ut Tinctores, Polimitarii, vel Phrygionici.

XXIV. *Ars Tegumentorum specialis* est quæ ipsa

ipſa tegumenta conficit, facitque vel veſtimenta, vel ſtragulas veſtis. Veſtimenta ſunt tegumenta, quæ ſe corpori humano accommodant ratione figuræ. Ea ſunt vel inferiora ut calcei & ocreæ, quo ſutoria: vel media, ut veſtes ſtrictè dictæ, quo ſartoria, vel ſuperiora, pilei. Veſtis ſtragula eſt cujus potiſſimus uſus in explicatione conſiſtit, ut Tapetes, Lodices, &c.

XXV. *Ædificandi ars* eſt quæ verſatur circa ædificia. Ædificia ſunt obſtacula immobilia, homines & humana ab æternis injuriis (præcipuè elementorum) tuentia. Ars ædificandi eſt principalis, vel minus principalis. Illa eſt Architectonica quæ toti ædificio præeſt, quo pertinet ars ædificandi urbes, theatra, propugnacula, domos &c. Minus principalis eſt, quæ principali inſervit. Idque vel neceſſaria præparando, ut ars Æqui Legum, faciendi aggeres, removendi aquam &c. Vel partes ædificiorum conficiendo, ut Murarii, Tectores: vel Ædificia ornando, idque ornamentis inſeparabilibus, ut ars incruſtatorum, gypſariorum: vel ſeparabilibus, ut ars ſtatuariorum, ſculptorum. Ars Textorum videtur intermedia inter tegmenta & ædificia. Hæ omnes artes ſunt filiæ Matheſios.

XXVI. *Ars mechanica matrix*, eſt quæ verſatur circa arma: Arma ſunt obſtacula, quibus animalia incommoda à nobis pellimus. Suntque defenſiva, offenſiva, vel mixta. Huc per-

pertinet ars Armamentaria, Tormentaria, Loricaria, Clypeos, Gladios, Haſtas, Sclopeta, Pulverem Tormentarium, aliaque bellica inſtrumenta conficiendi.

XXVII. *Ars mechanica quæ præſentia incommoda tollit*: id facit vel ſordes purgando, ut ars Balneatorum, Tonſorum: vel medicamenta tractando, ut Ars Apothecaria, vel applicando, ut ars Chirurgica.

XXVIII. *Hactenus de artibus Mechanicis hominis ſtatum conſervantibus*, ſequuntur ea quæ circa ejus actum immediatè verſantur: ea vel reſpiciunt hominis motum, vel ſenſum.

XXIX. *Mechanica hominis motum reſpiciens*, vel reſpicit immediatum, vel mediatum. Immediatum vel totius corporis, ut Gymnaſtica, Ars nobiliſſima: vel partium, ut ars gladiatoria, Ars equitandi, cui inſervit Ars, fræna, ephippia, calcaria, ſimiliaque conficiendi.

XXX. *Artes mechanicæ quæ circa hominis ſenſum verſantur*, ſignificationi incumbunt. Eſt autem hæc ars Mechanica ſignificandi communis quæ pluribus ſenſibus inſervit, ut ars Nuntiorum, Tabellariorum: vel ſpecialis, quæ uni ſenſui inſervit, nimirum Viſui, Auditui, Guſtui, Olfactui, vel Tactui: Viſui, quæ inſervit vel preparat inſtrumenta, vel obvelat. Inſtrumenta præparat Ars ſpeculatoria, quæ ſpecula & perſpicilla conficit. Libraria quæ circa libros verſatur, cui inſervit chartaria, pergamentaria,

quæ

quæ conficit membranas. Typographia compactorum. Oblectat visum Ars pictoria & scenica, quæ honestam recreationem efficit. Huc pertinent Tragœdi, Comædi similesque. Auditui quæ inservit, vel instrumenta præparat, ut Campanaria, vel iis utitur, idque vel significando tantum, ut ars Tympanistarum, Tibicinum: vel delectando, ut omnis ars musicorum, quo Organistæ, Citharædi pertinent. Odoratui inserviunt Unguentarii, Corollarii. Gustui & Tactui: quæ præter superiores inserviunt fermè sunt inhonesta propter nimiam voluptatem.

XXXI. *Hactenus de arte mechanica quæ circa hominem vivum versatur*: sequitur ea, quę circa mortuum. Ea vel mortuo humanitatis officia exhibet, ut Ars Pollinctorum, quo Balsamatores, Vespiliones, Sandanapilarii. vel jure hominem interficiendi, ut ars Carnificum, Lictorum, Custodum, Carcerum.

XXXII. *Ars mechanica derivativa est mercatura*. Mercatura est quæ res mobiles honesti lucri causa commutat & permutat, Ars in vita humana maximè necessaria, cujus distributio petatur ex Physica & hac ipsa tabula.

CAP. VIII.

De præparatione discentis.

I. HActenus *de præcognitione Disciplinarum Theoretica*, sequitur *Practica* quæ congruum disciplinarum studium docet: hæc fluit ex *Theoretica*. Estque summè necessaria, vocaturque *Didactica*. Media alia sunt generalia quæ omnibus facultatibus sunt communia, alia specialia, quæ tantum uni facultati propria.

I I. *Didactica respicit Discentis præparationem præparatu.* Discentis est congrua facultatum dispositio, seu status, qui quo est accuratior, eo expetenda est doctrina accuratior & uberior. Agit autem Didacticus de naturalium facultatum Correctione, Erectione ac Perfectione. Hæc præparatio respicit voluntatem vel reliquas facultates.

I I I. *Dispositio voluntatis est, qua voluntas discentis in studia, studiisque amica inclinatur.* Ejus videnda Exercitatio & Gubernatio. Exercitatio est qua voluntas discentis debito gradu in studia fertur. Hæc est diligentia, quæ sub se complectitur ignorantiæ agnitionem, studiorum amorem, nimiarum voluptatum odium seu temperantiam, curarumque vacuitatem, quibus opponitur Arrogantia, studiorum contemptus, intemperantia, animique distractio,

quæ

quæ omnia ſub ſe comprehendunt negligentiam. Illam excitat. Hanc curat diſciplinarum neceſſitas, utilitas, nobilitas & difficultas.

IV. *Voluntas moderatio eſt, qua voluntas debito modo in ſtudia fertur.* Hujus magiſtra eſt prudentia: prudentia præſcribit ut diſcipulus remotis impedimentis ſuo ſcopo, ingenio, rebuſque diſcendis congruè procedat.

V. *Finis ſtudioſi congruus eſt communis vel ſpecialis.* Communis ſit Dei Gloria, hominum ſalus, minus principaliter externa felicitas. Finis ſpecialis eſt ſolida & ſobria eruditio, ac prudens eruditionis in vita humana uſus ſpecialiſſimus, iſque vel ut diſciplinam frugaliter cognoſcamus, vel ut in ea excellamus. Huic prudentiæ repugnat, ſi quis avaritiæ, ambitionis, vel inanis oſtentationis cauſa ſtudiis incumbat.

VI. *Studia in genere congrue inſtituuntur*, ſi quis certum ſtudium & vitæ genus maturè ſtatuique ſubcongruum ſuſcipiat. Hic requiritur accurata ingenii (cujus magna varietas) ac naturalis propenſionis exploratio, prudenſque electio. Huic prudentiæ opponitur cœcus in ſtudiis impetus, ſtulta ſtudiorum mutatio, & ingenii aſinina ſervitus.

VII. *Rebus diſcendis congrua ſunt ſtudia*, ſi diſtinctis rebus, diſtinctè & ordinatè nos applicemus, idque hoc modo. Linguæ rebus diſciplinæ generalis & organicè ſpecialibus, & rea-

realibus principia conclusionibus, necessaria honorariis, ergo parergis præmittantur. Huic prudentiæ opponitur nimia subtilitas & studiorum confusio.

VIII. *Congrua reliquarum facultatum dispositio* consistit in illarum preparatione, & applicatione. Facultates hominis, studiis inservientes sunt, internæ, vel externæ. Internæ sunt animi vel corporis. Facultas animi est ingenium, cujus perfectio consistit in apprehensionis judicii & memoriæ facilitate. Facultates corporis vel sunt totius corporis, bona valetudo, vel sensuum, tam exteriorum quam interiorum, præcipuè phantasiæ & organorum, in primis linguæ & manus bona dispositio. Externæ facultates sunt opes, quæ non sunt tam necessariæ, quam commodę. Harum omnium facultatum possessio, conservatio ac amplificatio, pendet à divina benedictione, quæ sancta oratione & vita est obtinenda.

IX. *Congrua harum facultatum applicatio* est si nec exercitii defectu obstupescant, nec excessu exhauriantur enerventurque.

CAP. IX.

De discentis exercitiis.

I. HActenus de *discentis præparatione*, sequuntur ejus *exercitia*. Exercitia discentis sunt operationes discenti circumstantiis ac sibi ipsis congruę.

II.

II. *Operationes discentis circumstantiis congruæ* sunt, quæ locis temporis rationem habent. Temporis videnda quantitas quamdiu, & qualitas quando, hæc vel illa operatio sit instituenda Plerumque autem tempus matutinum difficilioribus, pomeridianum facilioribus, vespertinum repetitionibus est impendendum.

III. *Operationes discenti congruæ* sunt, quę diligentię ac prudentię supra prędictę respondent.

IV. *Operationes* Discentis *sibi ipsis congruunt*, si cum rebus discendis conveniunt, ac bene sint ordinatæ. Confusio enim est pestis omnis profectus.

V. *Operationes discentis in specie* sunt primitivæ vel derivativæ: Primitivæ sunt, quæ aliis natura & tempore præcedunt & inserviunt rerum apprehensioni, suntque auditio & lectio.

VI. *Auditio est rerum discendarum cognitio per auditum.* Additionis videndum est objectum & motus. Objectum præcipuum sunt præceptores. Præceptor est persona congruè docens. Congruè docet qui præditus est voluntate & facultate docendi. Facultas discendi consistit in sufficienti rerum discendarum scientia ac prudentia, & Methodica scientiæ prolatione. His respondeat discipulus amore, honore & obedientia. Modus Auditionis

nis congruus est si superioribus respondeat.

VII. *Lectio est rerum discendarum cognitio, per visum.* Lectionis videndum objectum & modus. Objectum sunt libri, libri sunt systemata res discendas congruè præponentia. Congruè proponunt qui veritatem methodicè ac utiliter docent. Magnus autem est instituendi librorum delectus. Libri clari obscuris, methodici confusis, solidi ac substantiales sunt præferendi superficiariis. Modus lectionis sit congruus superioribus, imprimis libri compendiosi prolixis, definitiones & distributiones, reguläque controversiis, recentiores veteribus, puri impuris præmittantur. Lectioni Analoga est inspectio quæ res discendas intuetur, adquam rem facit tempestiva & prudens peregrinatio. Hæc in Mathematicis, Medicis, Politicis imprimis est necessaria.

VIII. *Actiones discentis derivativæ* sunt quæ alias præsupponunt, rerumque jam apprehensarum tractationi inserviunt. Suntque Solitariæ, vel Sociæ.

Actio solitaria est repetitio, meditatio & scriptio.

IX. *Repetitio est studiosarum actionum congrua iteratio.* Hæc est unica memoriæ panatea: Sit autem diurna, hebdomadaria, menstrua & perpetua.

X. *Meditatio est rerum apprehensarum & memoriæ mandatarum congrua indicatio*, adeoque

combinatio, five fit axiomatica, five fyllogiftica, five methodica. Eftque anima ftudiorum.

XI. *Scriptio eft rerum judicatarum, ac fele-ctarum congrua fignificatio.* Hæc inftituit locos communes juxta feriem præceptorum.

XII. *Actio derivativa focia eft* quæ à pluribus perfonis inftituitur. Eftque examinatio, collatio, & difputatio. Examinatio eft profectus à præceptore inftituta exploratio quantum fcilicet profecerint difcipuli. Huc pertinet interrogatio. Hæc eft cor ftudiorum.

XIII. *Collatio eft conjuncta difcentium exercitatio.* Hæc eft calcar ftudiorum.

XIV. *Difputatio eft tam docentium quam difcentium exercitatio mutua.* Hæc eft lapis lydius ftudiorum. Omnis autem hæc exercitatio vel eft puerilis, vel crefcens, vel adulta.

Difputatio eft veritatis congrua contrariarum rationationum collatione inveftigatio.

AL-

ALPHABETI PHILOSOPHICI,

LIBER SECUNDUS.

In quo præcipua Metaphyſicæ Principia traduntur.

I. METaphyſica tradit ac dijudicat omnium diſciplinarum communia principia.

II. *Communia omnium diſciplinarum principia* ſunt propoſitiones, ex terminorum Metaphyſicorum congrua combinatione ortæ; vocantur *Axiomata*, licet ſint duorum graduum.

III. *Congrua combinatio* eſt, quæ cum definitionibus combinatorum conſentit, ſive ſit affirmata, ſive negata.

IV. *Definitiones terminorum Metaphyſicorum*, ſunt natura notiſſimæ, ac ſolâ mentis reflexione inveniuntur, reperiunturque. Hinc

termini Metaphysici sunt omnium primi, communissimi & notissimi, ab iisque reliquarum disciplinarum principia pendent, adeoque in particularibus disciplinis tractata Metaphysica resolvit usque ad suprema genera & attributa, partim quatenus rationem terminorum ipsorum ex quibus illa principia constant explicat, partim quatenus veritatem & certitudinem illorum Principiorum demonstrat cum aliis modis, tum potissimum per deductionem ad impossibile.

Metaphysicæ necessitas hinc patet, quia communia rerum Principia & Attributa, in nulla alia disciplina traduntur, quælibet enim cæterarum certum aliquod rerum genus tractant, id quod inductione patet. Itaque instituenda est alia tractatio, in qua omnia quæ communiter rebus cunctis conveniunt traderentur, ne nos earum rerum à quibus cæterarum existentia & perfecta cognitio pendet, Scientia ulla lateret. Hinc datur Disciplina quædam, quæ universaliter agit de rebus ut sunt, & explicat ea quæ omni enti insunt, hoc enim est contemplari Ens, quatenus Ens: hęc vocatur prima Philosophia, quia agit de primo Scibili conparate accepto, & de primis Terminis, Principiis, Causisque.

Metaphysicæ Subjectum quo ad rem consideratam tam late patet, ut objectum intellectus, sed quoad modum considerandi, non. Hic enim postu-

postulat ut omne Ens consideretur in Metaphysica in illis tantum communibus conceptibus, in quibus omnia Entia Specialia conveniunt. Hinc Metaphysica ita debet explicari Ens, ut in communi omnium Entium Unionem & Communionem doceat & notificet. *Unum Terminum Metaphysicum* cogimur per alium explicare ejusdem Disciplinæ juxta aliam atque aliam Terminorum habitudinem & respectum: hinc in Transcendentibus exactas habere Definitiones non possumus.

Tria in Metaphysicis considerantur. 1. *Ratio Essendi*, 2. *Proprietates ejus*. 3. *Rerum Species*. Ratio essendi est, qua res dicitur esse & existere: de primo enim res omnis & quodvis Ens habet suum esse & rationem essendi, qua suo modo est, & ideo τὸ esse rerum hic prius in communi declarari debet.

V. *Terminorum Metaphysicorum* ob mutuam proportionem immeatio est infinita, & est mutua Explicatio, Probatio & Multiplicatio. Hinc servat esse modum ac gradum congruum.

VI. *Termini Metaphysici* sunt Transcendentales & Prædicamentales subintellectis Oppositis. Hi omnes sunt intelligendi Theoreticè, Practicè & Poëticè.

VII. *Termini Transcendentales* sunt primæ universæ Encyclopœdiæ radices. Suntque Ens, Entis principia & modi, quæ sibi quam accuratissimè congruunt. C 3 VIII.

VIII. *Ens* est, in quo omnes termini Encyclopœdię, adeoque omnes mundi saltem analogicè conveniunt. Hinc est fons omnis harmonię humanę. Primus terminus adeo est clarus, ut nullo indigeat genere & differentia suę definitionis, attamen ut exactissime cognôscatur, cum lingua sapientissima, & proinde cogniti tum singularissime, tum generalissime debita ratio debeatur, expressit in præterito.

IX. *Ens* est, & contra, quod est, ens est, seu fieri non potest, ut ens sit non ens, salvis scilicet oppositionum legibus: quod omnibus terminis, etiam specialibus est applicandum; quicquid antem repugnat rerum definitioni implicat hanc contradictionem.

X. *Entis principia* sunt ex quibus ens est, & in quæ ab intellectu resolvitur. Hinc omnis accurata hominis cognitio est analysis.

XI. *Principia entis* sunt tantum duo; *Essentia* numirum & *existentia*.

XII. *Essentia* est principium, quo res est, seu est primum radicale, & intrinsecum omnium proprietatum & operationum, quæ rei conveniunt, principium. Nam ex essentia in primo proveniunt omnes virtutes & opera agendi: merito itaque primum operandi principium. Hinc omne ens est congruè operativum. Hinc quoque cognitio essentiæ est basis omnis cognitionis. Ideoque definitio essentię est clavis omnibus definibilis. Hinc quoque unius

unius entis una est, absoluta, & adęquata essentia. Essentia, quia est operandi principium dicitur natura.

XIII. *Existentia* est principium entis, quo ens sic vel tale est. Itaque ut essentia est convenientiæ, ita existentiæ differentiæ radix est. Illius antem cognitio est sapientia, hujus prudentia, quæ in omni meditatione sunt conjungenda. Hinc omnes facultates distinguunt inter rerum essentiam, & existentiam. Hinc existentia est actus essendi, per quem ens extra mobilia, & suas causas ponitur, estque completè. Ergo nihil est aliud, quam essentia actualis; nam per essentiam suam realem sunt res extra causas, ut in se aliquid sunt; realis itaque essentia est ipsa existentia.

Existere itaque est quasi extrasistere, quia per existentiam sistitur res extra suas causas. Hinc quoque non potest esse existentia, nisi prius existat essentia.

Item non potest esse operatio, nisi prius ponatur existentia modo graduque congruo.

Essentia respicit Formam rei in se existentia vestitam affectionibus seu proprietatibus. Essentia enim est forma entis, ut est existentia existentis, siquidem abstracta sunt formæ concretorum. Essentia constituit rem quasi communiter & incompletè. Existentia quasi specialiter & completè, Quorum una numero est essentia ex specie ac definitione tali, quæ in essentiale

tiale ac absolutum discrimen, sed respectivum tantum ac module inferat, discrepare possunt, secus unius ejusdemque entis plures modi, alioquin distinctissimi, non haberent diversam definitionem. Ergo illa axiomata: Ubi una est essentia, ibi est definitio una. Et quæ definitione differunt, etiam essentia differunt, non sunt universaliter vera & absolute, secus essent absurda. Operatio Entis alia est egressus, alia progressus, alia regressus, seu inchoationis, continuationis, & consummationis. Omnia enim entia sunt operativa, & non possunt omnia sic operari, ut eorum operationis terminus sit motus, seu per egressum & progressum, secus, aut omnia essent tantum ptincipia, aut tantum media, aut utrumque simul, ideoque daretur progressus in infinitum: itaque erit quædam operatio regrediens, cujus terminus sit quies, & illa vocatur regressus, seu consummatio; sic enim erit perfectio in rebus. Itaque quædam entia, quæ sunt principia per motum, quædam, quæ sunt media per promotionem, quædam, quæ sunt finis, per reflexionem priorum operationum agunt. Hinc omnis operatio totalis in omni ente est circularis; nam in eo principium per medium in finem progreditur, ut finis ad principium regreditur. Sic in catholica entis scala fundamentale primum est entitas, ultimum individualitas, intra quos duos universum to-
tius

tius Encyclopædiæ velum volvitur.

Essentia, Existentia & Subsistentia inter se & enti semper sunt proportionalia: Unde quale & quantum ens, talis & talia ejus essentia, existentia & subsistentia, & vicissim. Et qualis & quanta essentia, talis & tanta existentia, &c. Cui competit essentia, eidem etiam virtus, operatio congrua, & vicissim. Et qualis & quanta operatio, talis & tanta virtus operandi, ac essentia, & vicissim. Et operatio operandi, adeoque officium fungenti est proportionalis, & ubi tribus eadem operatio tribuitur, propriè, æqualiter; illi tres sunt minus essentiæ.

XIV. *Duratio* est existentiæ continuatio. Hinc, quia omne ens appetit se, appetit etiam sui conservationem & durationem.

XV. *Æternitas*, cum sit duratio infinita, est indivisibilis, licet à nobis per partes concipiatur, & exprimatur.

XVI. *Cum Entis finiti duratio sit finita*, necessario omnis duratio creaturæ habet principium, finemque in se spectata habere potest; licet quædam finem habitura non sint, quæ vocantur Ævum. Hinc æternitas soli Deo competit.

XVII. *Tempus* proprie dictum est duratio successiva, cujus fuisse, esse, & fore, non sunt simul, sed unum post aliud. Hinc res successivæ, accurate sunt distinguendæ à non suc-

cessivis, puta permanentibus & instantaneis.

XVIII. *Modi Entis sunt Essentiales Entis habitudines*, seu determinationes in genere considerati, non sunt accidentia, secus daretur progressus in infinitum, sed reducuntur in specie vel ad substantiam vel ad accidens.

Modus sumitur generaliter pro omni eo quod competit Enti, sive per modum principiorum ejus considerentur, qui vocatur modus antecedens, sive per necessariam cum ejus Principiis connexionem Ens quasi ultimo complentem, qui vocatur modus concomitans, sive denique per modum proprietatum stricte sic dictum, qui vocatur modus consequens & hoc modo sumitur specialiter & rigorose.

XIX. *Ex modis Entis eorumque congruentia fluit immeatio Entium secunda*, quæ est mater omnis collationis, & congruæ limitationis. Hinc omnes Disciplinæ distinguuntur inter rem, vel modum rei. Modus Entis oritur ex ejus collatione, confertur autem Ens vel cum se ipso, vel cum aliis percipientibus Entibus, vel pariter secum percipienti objectis. Illinc congruentia Entis intrinseca, hinc extrinseca emergit.

Ens collatum cum se ipso in omnibus suis modis primitivis (Unitate, Veritate, Bonitate, Ordine, Perfectione) habet se Activè & Passivè,

vè, Illo modo eſt ſuorum Modorum quaſi Origo & Adjunctum occupatum, quatenus habet vim ſe alteri Uniendi, Verificandi, &c. Hoc modo quaſi eſt Subjectum recipiens, & ſimul objectum quatenus poteſt Uniri, Verificari, Ordinari, idque vel à ſe vel ab alio. Hinc in omni Ente quoad ſuos modos primos, eſt Neceſſaria pars Conjugatorum, nimirum, *Ivum* & *Ile*, ſic omne Ens eſt Unitivum & Unibile, Verificativum & Verificabile &c. Adeoque omne Ens habet potentiam, vel aptitudinem, i. e. poſſibilitatem juxta ſingulos ſuos modos neceſſario & in ſe ſibi convenientes.

XX. *Modi Entis ſunt Congruentia & Differentia.* Illa eſt Radix affirmatæ, hæc Negatæ Combinationis.

XXI. *Modis Entis reſpondent Entium Facultates, Unitati, Potentia, Veritati Cognitio, Bonitati Appetitus.*

XXII. *Unitas eſt Congruentia Entis cum ſe ipſo.* Omne itaque Ens debet habere Principia & Facultates ſibi congruas, hinc quoque omnibus appetit ſuam Unitatem.

Unitas eſt Pancharmonia omnis Efficientiæ	Tres iſtæ Cauſæ concurrunt in omni Effectu.
Veritas eſt Pancharmonia omnis Exemplaris	
Bonitas eſt Pancharmonia omnis Finis.	

Cum unum ſit quod ſecum congruit: Et omne Ens ſit unum: Ergo C 6 1. *Nul-*

1. *Nullum Ens repugnat sibi*, secus non congrueret sibi. Et omne Ens habet potentiam se Uniendi, & Possibilitatem ut non repugnet Uniri. Hinc

2. *Omne Ens habet certam unionem & communionem secum*, secus non congrueret secum. Et qualis & quanta est Entis Unitas, talis & tanta ejus unio & communio. Hinc

3. *Ens primum Æternum, Indivisibile, Independens, Infinitum, Simplex, Necessarium, Increatum, Incorruptibile, Immutabile, &c.* Unionem & Communionem habet Primam, Æternam, Independentem, &c. Adeoque datur in eo Uniens & Unitum, certusque Unionis & Communionis modus, adeoque Efficiens, Exemplaris & Finis, Unionis & communionis Unus atque idem, secus in eo non esset prima Unitas.

4. *Ens Politicum, Ecclesiasticum, Scholasticum, Oeconomicum* habet Unionem & Communionem sibi similem, adeoque potentiam Unionem efficiendi, & possibilitatem productam, Unionem recipiendi & habendi.

5. *Quo Ens magis congruit secum, eo Unio & Communio major*, & ubi deficit Entis Congruentia cum se ipso, ibi deficit ejus vis & aptitudo uniendi & communicandi. Hinc

6. *Quanto magis Ens est Unum, eo vehementius se unit.* Unde in Ente primo & summo prima & summa Unione & Communione nega-

ta.

ta, Ens primum & ſummum non erit.

7. *Quod non eſt Vnum, impoſſibile eſt*, quia cum ſe ipſo pugnat, adeoque ſe ipſum deſtruit. Unde omne Ens cum ſuis facultatibus, operationibus à Principiis propriis ſolum intrinſecè congruit, quia ſi alia quoque Entia ita cum iis congruerent, eſſent illud.

Vnum Ens. Hinc nulla Unio & Communio, uni ſoli Enti ſemper competens, competit alii Enti, præter ipſum: ſecus unum illud tantummodo eſſet Ens in rerum natura, quia quod cum uno ſolo ſemper congruit, illud alii, non tali & tanto, adeoque id recipiendi inapto datum, ipſum cui datum deſtruit.

8. *Omnia Entia cum aliis Entibus certo modo & gradu congruunt*, ſecus ſe mutuo deſtruerent, adeoque certam habet Unionem & Communionem ſibi continentem, adeoque certum, primum Unitatis ſuæ Principium, Medium & Finem.

XXIII. *Virtus Congruè unita eſt fortior diſperſâ*, hoc principium applicandum omnibus virtutibus.

XXIV. *Omnis Vnio eſt congruorum*, ſeu proportionalium, omnis unio eſt ob Communionem, & viciſſim omnis Communio fluit ab Unione.

XXV. *Quæ ſunt una, uni ea ſunt una inter ſe*, ſeu quæ in uno tertio conveniunt, ea conveniunt inter ſe. Hoc eſt principium omnis Ephor-

Ephormoseos, tam spiritualis quam corporalis, cavenda tamen est confusio, præsertim in tertio communicabili, maximum tamen est Mysterium, Unum idemque, esse radices summæ Continentiæ & Differentiæ.

XXVI. *Omnis multitudo revocanda est ad unitatem*, secus non esset multitudo, intellige multitudinem congruam non absurdam, quæ est non Ens.

XXVII. *Veritas est congruentia Entis cum suo Intellectu*. Hinc omne Ens est verum & contra, & à quo res habet Essentiam, ab eo etiam habet veritatem & contra.

XXVIII. *Veritas Veritati consonat*. Hinc etsi varii sint veritatis gradus, tamen sibi invicem revera, seu salvis legibus oppositionis non repugnant.

XXIX. *Dantur prima Axiomata, seu Generalia Veritatis Principia*, quibus utitur universa Encyclopædia congruâ applicatione. Congrua applicatio est, quæ servat Entium Differentias. Incongrua, quæ destruit, vocaturque Μετάβασις εἰς ἄλλο γένος seu confusio Generum. In omni cognitione opus est verbo. Cognitio Patris non est alius actus quâ cognoscit Filius. Non Filii cognitio est alius actus qua cognoscit Spiritus Sanctus. Ergo non opus alio. Unus enim est cognoscendi actus, sed modus cognoscendi est diversus.

XXX. *Omne verum est cognoscibile & contra.*

tra Cognitio est veritatis perceptio, seu qua veritas cognoscentem sibi unit assimilando.

XXXI. *Quia Cognitio est Veritatis cum Cognoscente unio*, requiritur congrua inter Cognoscens & Veritatem Proportio, non quidem æqualitas, sed assimilativitas & assimilabilitas.

XXXII. *Si aliquid desit Cognoscenti, congrua proportio procuratur, vel Facultatis unione, vel objecti accommodatione.* Facultatis unio fit vel vehementi applicatione, vel actuum Intellectus repetitione. Objecti accommodatio, vel respicit objecti congruam quantitatem vel qualitatem. Illa, vel objectum nimis parvum auget, vel nimis magnum minuit: hoc fit, vel ex nimis magno objecto faciendo parvum partiendo, vel ex nimis multis faciendo pauca Universalium abstractione. Congrua qualitas Objecti procuratur si ex notioribus Analogicis cognoscuntur ignotiora Analogica.

XXXIII. *Bonitas est Congruentia Entis cum Appetitu suo.* Hinc omne Ens qua tale est bonum & contra. Quare nec summum nec solitarium malum datur. Non repugnat Creaturæ esse malum, quia si poterat non esse, quidni etiam possit incongruè esse? Quod non est summum bonum & necessario bonum, illud in se potest habere malum. Quod creatum est non potest esse summum bonum, quia summum bonum semper est, creatura autem non sem-

semper est. Bonum transcendentale potest esse Subjectum boni naturalis & moralis, & naturale moralis. Malum transcendentale non datur. Datur naturale & morale. Illud tollit bonum naturale, sed non tollit transcendentale.

Malum morale est incongruentia respectu naturæ intelligentis. Hæc destruit bonum morale, sed non destruit bonum transcendentale, & naturale. Malitia est absentia congruentiæ. Tanta est imperfectio mali, ut non possit esse sine bono. Omnia peccata sunt destructio Dei, scilicet intentio. Nullum ens tam est malum, quin alicujus respectu bonum sit. Malum summum est malum, infinitum; at vero sit malum infinitum non poterit esse summum, & infinitum bonum. Deinde si est malum infinitum, aut delectatur summum bonum illo malo infinito, aut non: si illud, delectatur suo destructivo, quod absurdum. Mala sunt ordinabilia infallibiliter, sapientissime, efficacissime & optime à primo bono. Bonitas consistit in commensuratione entis cum appetitu primo. Ideoque appetitus Dei est mensura omnis bonitatis. Cùm omnia bona sunt harmonica, aut sunt coordinata, aut subordinata. Illa sunt æqualium, sic ergo non sunt harmonica. Hæc inæqualium, in qua tandem ad unum primum veniendum, ibique absistendum. Omne bonum est sui communicativum, & quo modo & gra-

du bonum eſt, eo modo & gradu ſui communicativum eſt, & contra, omne communicativum ſui eſt bonum, & quo modo & gradu ſui communicativum eſt, eo modo & gradu bonum eſt. Hinc, quanta eſt varietas boni, tanta etiam communicationis, & quo quid habet excellentius vim communicandi, eo excellentius eſt. Ubi eſt communicativitas, ibi eſt poſſibilis communicatio, & qualis & quanta bonitas, talis & tanta communicabilitas. Ubi eſt infinita communicativitas, ibi eſt infinita communicatio, ſecus abſurda eſſet illa infinita communicativitas, cum omnis potentia activa ſit propter actum. Ubi eſt communicativitas, ibi eſt communicatio poſſibilis, non autem ibi eſt neceſſario communicatio.

XXXIV. *Ut varii Entium, ita varii ſunt bonitatis gradus*, qui omnes à ſummo bono fluunt, & in illud refluunt, juxta Principium 26. Prout ſunt varii appetitus, ſic etiam bonitates.

XXXV. *Ex bonitate Entis fluit ejus convenientia*, qua ens unum congruit, ſeu unibile eſt alteri, juxta principium 25. Huic fluit omnis ſocietas. Hæc congruentia eſt inter omnia entia conſentanea. Eaque immediata, vel mediata, quæ eſt profundiorum.

Convenientia eſt vel modus, vel ſimilitudo, vel diſſimilitudo, vel gradus ſeu paritas, vel imparitas.

XXXVI.

XXXVI. *Entis convenientia fluit ejus communicativitas & appetibilitas.* Communicativitas est entis (ut ita dicam) unitivitas, seu est modus entis, quo ens potest alii enti suæ naturæ congruè uniri. Appetibilitas est entis (ut ita dicam) communicabilitas, seu modus, quo ens potest alii uniri suæ naturæ congruè. In omni autem communicatione, est datio & acceptio, eaque mutua, vel non mutua. Hinc omne bonum est appetibile, & omne appetibile, qua tale, est bonum. Unde malum sub specie boni appetitur. Fundamentum appetibilitatis est bonum; nam ideo res appetuntur, quia sunt bonæ, non autem ideo sunt bonæ, quia appetuntur. Sic visibilitatis est fundamentum coloratum. Hoc autem intellige de appetitu finito, non de infinito: ibi in contrario modo se res habet.

XXXVII. *Appetitus Metaphysice sumtus* (ita ut appropinquationem, & fugam, & naturalem & voluntariam, sensitivam & intellectivam sub se complectatur) *est Entis ad Ens habituatio, seu dispositio.* Appetitus est congruus, si appetibile modo graduque congruo appetatur; vel incongruus, si non appetibile appetatur, & utrumque fiat modo graduque incongruo: ut autem appetitus congruus est fons omnis actionis congruæ, ita incongruus est fons actionis incongruæ.

Cum voluntas sequatur intellectum, eodem

dem modo contingit causam esse alicujus volentis, ut velit, & alicujus intelligentis, ut intelligat. In intellectu res sic est, quod si seorsim intelligat principium, & seorsim conclusionem. Intelligentia principii, est causa scientiæ conclusionis, sed si intellectus in ipso principio inspiciat conclusionem, uno intuitu apprehendens utrumque, in eo scientia conclusionis non causaretur ab intellectu principiorum; quia idem non est causa sui ipsius, attamen intelligeret principia esse causas conclusionis. Similiter est ex parte voluntatis, circa quam sic se habet finis ad media, sicut in intellectu principia ad conclusiones. Unde si quis uno actu velit finem & media, alio actu velle finem, erit ei causa volendi ea, quæ sunt ad finem: sed si uno actu velit finem & media, hoc esse non poterit; quia idem non est causa sui ipsius. Et tamen verum erit dicere, quod velit ordinem, ea, quæ sunt ad finem, in finem. Hinc cum Deus intelligat omnia in sua essentia uno actu, ita uno actu vult omnia in sua bonitate. Unde sicut in Deo intelligere causam, non est causa intelligendi effectus, sed ipse intelligit effectus in causa: ita velle finem non erit, non est ei causa volendi ea, quæ sunt ad finem, sed tamen vult ea, quæ sunt ad finem, ordinari in finem. Vult ergo hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc.

XXXVIII. *Incongrui non est appetitus*, quia

quia cognitio est appetentis & appetibilis unitio, quia, quo perfectior est cognitio, eo etiam perfectior est appetitio.

XXXIX. *Perfectio est Entis sufficientia*, seu est modus entis, quo ens habet omnia ea, sine quibus esse non potest, nec debet. Hinc omne ens est perfectum, scilicet perfectione absoluta & essentiali; licet non semper comparata, vel accidentaliter.

XL, *Omne ens habet suas proprietates*, cum secus esset frustra.

XLI, *Ordo est Entis harmonia*, seu est congruentia distinctorum; sive illa sint æqualia, sive inæqualia. Hinc omne ens est ordinatum, vel ordinabile, & contra; nam in eminente est aliqua distinctio, quia distinctio est perfectio.

XLII. *In nullo ordine datur ascensus in infinitum*, secus enim foret congruentia. Hinc universa natura est harmonica.

XLIII. *Ordo est mater omnis perfectionis, confusio imperfectionis.* Hinc ordo est anima mundi, adeoque omnium actionum humanarum. Ubi nullus ordo, ibi nulla cognitio. Absurdus est processus in infinitum, ratione principiorum in omni ordine rerum, non verò ratione principiatorum finitorum in potentia consideratorum. Nunquam enim acta infinita quidem possent esse creata entia, nunquam tamen tot & tantæ res crearentur, quin ad-

adhuc plures possent creari, quod nititur Creantis infinitâ, creati vero finita perfectione.

XLIV. *Ordo archetypus est, cui alia congruere debent.* Estque divinus. Ordo Ectypus est eorum, quæ congruere debent. Ille est radix & norma hujus.

XLV. Sequitur *differentia Entis*, quæ est *habitudo entis dissentanea, adeoque radix combinationis negatæ.* Hæ negationes sunt firmæ, si serventur leges oppositionis, secus, sunt limitandæ.

XLVI. *Differentiæ Entis oriuntur ex varia terminorum prædictorum combinatione.* Unde & ex iis petendæ, & ad eas reducendæ sunt. Hinc inexhausta est illarum immeatio.

XLVII. *Differentiæ Entium sunt claves & indices multiplicationis rerum.* Hinc omnes speciales divisiones, & distinctiones ex eis sunt derivandæ, & ad eas examinandæ. Non autem tantum unde termini sunt applicandi, sed etiam multiplicandi per conjugata sua, & flexiones Grammaticas.

XLVIII. *Ens Immutabile, seu necessarium est, quod aliter esse nequit.* Non necessarium seu mutabile est, quod aliter esse potest, cujuscunque Metaphysici termini id fiat.

XLIX. *Necessarium uno modo potest esse, non necessarium alio modo, & vicissim.* Variato enim rerum respectu, tollitur contradictio.

L. *Omne*

L. *Omne mutabile pendet ab immutabili, ideoque in illud est resolvendum.* Omnis enim multitudo & incertitudo est revocanda ad unitatem, & certitudinem, secus esset confusio. Mutatio importat intrinsecam denominationem, quæ fit ab accidente, quod intrinsece accedit, & afficit rem: sed extrinseca denominatio, seu prædicatio non arguit novam entitatem, aut realitatem, sed modum se habendi ad aliud, v. g. tu, quia aliquis te videt, diceris videri, & si quis ad dexteram tuam stet dicitur honoratus: & Deus, quia mundum creavit, dicitur Creator, hic certe nihil accedit intrinsecè. Prodromus de duabus in Christo Naturis Examinis aphorismo 3. Num. 3. pag. 772. lib. 5. cap. 11.

LI. *Spontaneum est, quod intrinsecè agendi potentiæ congruit. Coactum, quod intrinsece agendi patientiæ repugnat.* Spontaneum est naturale vel liberum. Spontaneitas liberalis est intrinsecus agentis ad unum ordo, seu habitudo agentis, inquam intelligentis, vel non intelligentis: hinc latius patet spontaneum quem liberum, omne enim liberum est spontaneum, sed non vicissim. Hinc quoque latius patet voluntarium, quam liberum. Omne enim voluntarium est liberum, sed non vicissim.

LII. *Libertas est intrinseca habitudo potentiæ intelligentis ad opposita.* Hinc intellectus est radix libertatis. Est autem libertas naturæ agen-

agentis congrua. Unde primo agenti competit summa & merè activa, secundo agenti subordinata, aut passivo activa libertas.

LIII. *Infallibilitas divinæ Providentiæ Causarum secundarum libertatem non tollit*, quia ipsis congruè agit. Est enim libertatis & radix & conservatrix causa prima.

LIV. *Ens reale est quod revera in rerum natura est. Ens rationis est, quod etsi non sit, tamen esse concipitur.* Hinc absurdissima est consensio entis realis, & rationis.

LV. *Ens rationis analogice respondet Enti reali.* Unde ejus principia, modi & divisiones ei applicantur.

LVI. *Entia rationis sunt utilia vel futilia.* Utrumque radix est intellectus nostri incapacitas, utilium scopus est ejusdem sublevatio, sunt enim mentis nostræ adminicula, entiumque realium pictura. Hinc accuratè cavendum, ne illud, quod est, ex parte intellectus nostri attribuamus ipsis rebus.

LVII. *Privatio est absentia congrui seu debiti.* Hinc & subjecto & habitui analogice respondet.

LVIII. *Privatio re vera est in rerum naturâ*, non quia aliquid ponit, sed quia negat seu tollit. Unde sola, nec est efficax, nec efficitur.

LIX. *Aliud est Ens esse actum, aliud est ens esse actu. Et aliud est ens esse potentiam, aliud potentia:*

tiale ac absolutum discrimen, sed respectivum tantum ac module inferat, discrepare possunt, secus unius ejusdemque entis plures modi, alioquin distinctissimi, non haberent diversam definitionem, Ergo illa axiomata: Ubi una est essentia, ibi est definitio una. Et quæ definitione differunt, etiam essentia differunt, non sunt universaliter vera & absolute, secus essent absurda. Operatio Entis alia est egressus, alia progressus, alia regressus, seu inchoationis, continuationis, & consummationis. Omnia enim entia sunt operativa, & non possunt omnia sic operari, ut eorum operationis terminus sit motus, seu per egressum & progressum, secus, aut omnia essent tantum ptincipia, aut tantum media, aut utrumque simul, ideoque daretur progressus in infinitum: itaque erit quædam operatio regrediens, cujus terminus sit quies, & illa vocatur regressus, seu consummatio; sic enim erit perfectio in rebus. Itaque quædam entia, quæ sunt principia per motum, quædam, quæ sunt media per promotionem, quædam, quæ sunt finis, per reflexionem priorum operationum agunt. Hinc omnis operatio totalis in omni ente est circularis; nam in eo principium per medium in finem progreditur, ut finis ad principium regreditur. Sic in catholica entis scala fundamentale primum est entitas, ultimum individualitas, intra quos duos universum totius

tius Encyclopædiæ velum volvitur.

Essentia, Existentia & Subsistentia inter se & enti semper sunt proportionalia: Unde quale & quantum ens, talis & talia ejus essentia, existentia & subsistentia, & vicissim. Et qualis & quanta essentia, talis & tanta existentia, &c. Cui competit essentia, eidem etiam virtus, operatio congrua, & vicissim. Et qualis & quanta operatio, talis & tanta virtus operandi, ac essentia, & vicissim. Et operatio operandi, adeoque officium fungenti est proportionali, & ubi tribus eadem operatio tribuitur, propriè, æqualiter; illi tres sunt minus essentiæ.

XIV. *Duratio* est existentiæ continuatio. Hinc, quia omne ens appetit se, appetit etiam sui conservationem & durationem.

XV. *Æternitas*, cum sit duratio infinita, est indivisibilis, licet à nobis per partes concipiatur, & exprimatur.

XVI. *Cum Entis finiti duratio sit finita*, necessario omnis duratio creaturæ habet principium, finemque in se spectata habere potest; licet quædam finem habitura non sint, quæ vocantur Ævum. Hinc æternitas soli Deo competit.

XVII. *Tempus* proprie dictum est duratio successiva, cujus fuisse, esse, & fore, non sunt simul, sed unum post aliud. Hinc res successivæ, accurate sunt distinguendæ à non successi-

ceſſivis, puta permanentibus & inſtantaneis.

XVIII. *Modi Entis ſunt Eſſentiales Entis habitudines*, ſeu determinationes in genere conſiderati, non ſunt accidentia, ſecus daretur progreſſus in infinitum, ſed reducuntur in ſpecie vel ad ſubſtantiam vel ad accidens.

Modus ſumitur generaliter pro omni eo quod competit Enti, ſive per modum principiorum ejus conſiderentur, qui vocatur modus antecedens, ſive per neceſſariam cum ejus Principiis connexionem Ens quaſi ultimo complentem, qui vocatur modus concomitans, ſive denique per modum proprietatum ſtricte ſic dictum, qui vocatur modus conſequens & hoc modo ſumitur ſpecialiter & rigoroſe.

XIX. *Ex modis Entis eorumque congruentia fluit immeatio Entium ſecunda*, quæ eſt mater omnis collationis, & congruæ limitationis. Hinc omnes Diſciplinæ diſtinguuntur inter rem, vel modum rei. Modus Entis oritur ex ejus collatione, confertur autem Ens vel cum ſe ipſo, vel cum aliis percipientibus Entibus, vel pariter ſecum percipienti objectis. Illinc congruentia Entis intrinſeca, hinc extrinſeca emergit.

Ens collatum cum ſe ipſo in omnibus ſuis modis primitivis (Unitate, Veritate, Bonitate, Ordine, Perfectione) habet ſe Activè & Paſſivè,

vè, Illo modo eſt ſuorum Modorum quaſi Origo & Adjunctum occupatum, quatenus habet vim ſe alteri Uniendi, Verificandi, &c. Hoc modo quaſi eſt Subjectum recipiens, & ſimul objectum quatenus poteſt Uniri, Verificari, Ordinari, idque vel à ſe vel ab alio. Hinc in omni Ente quoad ſuos modos primos, eſt Neceſſaria pars Conjugatorum, nimirum, *Ivum* & *Ile*, ſic omne Ens eſt Unitivum & Unibile, Verificativum & Verificabile &c. Adeoque omne Ens habet potentiam, vel aptitudinem, i. e. poſſibilitatem juxta ſingulos ſuos modos neceſſario & in ſe ſibi convenientes.

XX. *Modi Entis ſunt Congruentia & Differentia.* Illa eſt Radix affirmatæ, hæc Negatæ Combinationis.

XXI. *Modis Entis reſpondent Entium Facultates, Vnitati, Potentia, Veritati Cognitio, Bonitati Appetitus.*

XXII. *Vnitas eſt Congruentia Entis cum ſe ipſo.* Omne itaque Ens debet habere Principia & Facultates ſibi congruas, hinc quoque omnibus appetit ſuam Unitatem.

Vnitas eſt Pancharmonia omnis Efficientiæ	Tres iſtæ Cauſæ concurrunt in omni Effectu.
Veritas eſt Pancharmonia omnis Exemplaris	
Bonitas eſt Pancharmonia omnis Finis.	

Cum unum ſit quod ſecum congruit: Et omne Ens ſit unum: Ergo C 6 1. *Nul-*

1. *Nullum Ens repugnat sibi*, secus non congrueret sibi. Et omne Ens habet potentiam se Uniendi, & Possibilitatem ut non repugnet Uniri. Hinc

2. *Omne Ens habet certam unionem & communionem secum*, secus non congrueret secum. Et qualis & quanta est Entis Unitas, talis & tanta ejus unio & communio. Hinc

3. *Ens primum Æternum, Indivisibile, Independens, Infinitum, Simplex, Necessarium, Increatum, Incorruptibile, Immutabile, &c.* Unionem & Communionem habet Primam, Æternam, Independentem, &c. Adeoque datur in eo Uniens & Unitum, certusque Unionis & Communionis modus, adeoque Efficiens, Exemplaris & Finis, Unionis & communionis Unus atque idem, secus in eo non esset prima Unitas.

4. *Ens Politicum, Ecclesiasticum, Scholasticum, Oeconomicum* habet Unionem & Communionem sibi similem, adeoque potentiam Unionem efficiendi, & possibilitatem productam, Unionem recipiendi & habendi.

5. *Quo Ens magis congruit secum, eo Unio & Communio major*, & ubi deficit Entis Congruentia cum se ipso, ibi deficit ejus vis & aptitudo uniendi & communicandi. Hinc

6. *Quanto magis Ens est Unum, eo vehementius se unit.* Unde in Ente primo & summo prima & summa Unione & Communione nega-

ta.

ta, Ens primum & summum non erit.

7. *Quod non est Vnum, impossibile est*, quia cum se ipso pugnat, adeoque se ipsum destruit. Unde omne Ens cum suis facultatibus, operationibus à Principiis propriis solum intrinsecè congruit, quia si alia quoque Entia ita cum iis congruerent, essent illud.

Vnum Ens. Hinc nulla Unio & Communio, uni soli Enti semper competens, competit alii Enti, præter ipsum: secus unum illud tantummodo esset Ens in rerum natura, quia quod cum uno solo semper congruit, illud alii, non tali & tanto, adeoque id recipiendi inapto datum, ipsum cui datum destruit.

8. *Omnia Entia cum aliis Entibus certo modo & gradu congruunt*, secus se mutuo destruerent, adeoque certam habet Unionem & Communionem sibi continentem, adeoque certum, primum Unitatis suæ Principium, Medium & Finem.

XXIII. *Virtus Congruè unita est fortior dispersâ*, hoc principium applicandum omnibus virtutibus.

XXIV. *Omnis Vnio est congruorum*, seu proportionalium, omnis unio est ob Communionem, & vicissim omnis Communio fluit ab Unione.

XXV. *Quæ sunt una, uni ea sunt una inter se*, seu quæ in uno tertio conveniunt, ea conveniunt inter se. Hoc est principium omnis Ephor-

Ephormoseos, tam spiritualis quam corporalis, cavenda tamen est confusio, præsertim in tertio communicabili, maximum tamen est Mysterium, Unum idemque, esse radices summæ Continentiæ & Differentiæ.

XXVI. *Omnis multitudo revocanda est ad unitatem*, secus non esset multitudo, intellige multitudinem congruam non absurdam, quæ est non Ens.

XXVII. *Veritas est congruentia Entis cum suo Intellectu.* Hinc omne Ens est verum & contra, & à quo res habet Essentiam, ab eo etiam habet veritatem & contra.

XXVIII. *Veritas Veritati consonat.* Hinc etsi varii sint veritatis gradus, tamen sibi invicem revera, seu salvis legibus oppositionis non repugnant.

XXIX. *Dantur prima Axiomata, seu Generalia Veritatis Principia*, quibus utitur universa Encyclopædia congruâ applicatione. Congrua applicatio est, quæ servat Entium Differentias. Incongrua, quæ destruit, vocaturque *Μετάβασις εἰς ἄλλο γένος* seu confusio Generum. In omni cognitione opus est verbo. Cognitio Patris non est alius actus quâ cognoscit Filius. Non Filii cognitio est alius actus qua cognoscit Spiritus Sanctus. Ergo non opus alio. Unus enim est cognoscendi actus, sed modus cognoscendi est diversus.

XXX. *Omne verum est cognoscibile & contra.*

tra Cognitio est veritatis perceptio, seu qua veritas cognoscentem sibi unit assimilando.

XXXI. *Quia Cognitio est Veritatis cum Cognoscente unio*, requiritur congrua inter Cognoscens & Veritatem Proportio, non quidem æqualitas, sed assimilativitas & assimilabilitas.

XXXII. *Si aliquid desit Cognoscenti, congrua proportio procuratur, vel Facultatis unione, vel objecti accommodatione.* Facultatis unio fit vel vehementi applicatione, vel actuum Intellectus repetitione. Objecti accommodatio, vel respicit objecti congruam quantitatem vel qualitatem. Illa, vel objectum nimis parvum auget, vel nimis magnum minuit: hoc fit, vel ex nimis magno objecto faciendo parvum partiendo, vel ex nimis multis faciendo pauca Universalium abstractione. Congrua qualitas Objecti procuratur si ex notioribus Analogicis cognoscuntur ignotiora Analogica.

XXXIII. *Bonitas est Congruentia Entis cum Appetitu suo.* Hinc omne Ens qua tale est bonum & contra. Quare nec summum nec solitarium malum datur. Non repugnat Creaturæ esse malum, quia si poterat non esse, quidni etiam possit incongruè esse? Quod non est summum bonum & necessario bonum, illud in se potest habere malum. Quod creatum est non potest esse summum bonum, quia summum bonum semper est, creatura autem non sem-

ſemper eſt. Bonum tranſcendentale poteſt eſſe Subjectum boni naturalis & moralis, & naturale moralis. Malum tranſcendentale non datur. Datur naturale & morale. Illud tollit bonum naturale, ſed non tollit tranſcendentale.

Malum morale eſt incongruentia reſpectu naturæ intelligentis. Hæc deſtruit bonum morale, ſed non deſtruit bonum tranſcendentale, & naturale. Malitia eſt abſentia congruentiæ. Tanta eſt imperfectio mali, ut non poſſit eſſe ſine bono, Omnia peccata ſunt deſtructio Dei, ſcilicet intentio. Nullum ens tam eſt malum, quin alicujus reſpectu bonum ſit. Malum ſummum eſt malum, infinitum; at vero ſit malum infinitum non poterit eſſe ſummum, & infinitum bonum. Deinde ſi eſt malum infinitum, aut delectatur ſummum bonum illo malo infinito. aut non: ſi illud, delectatur ſuo deſtructivo, quod abſurdum. Mala ſunt ordinabilia infallibiliter, ſapientiſſime, efficaciſſime & optime à primo bono. Bonitas conſiſtit in commenſuratione entis cum appetitu primo. Ideoque appetitus Dei eſt menſura omnis bonitatis. Cùm omnia bona ſunt harmonica, aut ſunt coordinata, aut ſubordinata. Illa ſunt æqualium, ſic ergo non ſunt harmonica. Hæc inæqualium, in qua tandem ad unum primum veniendum, ibique abſiſtendum. Omne bonum eſt ſui communicativum, & quo modo & gradu.

du bonum eſt, eo modo & gradu ſui communicativum eſt, & contra, omne communicativum ſui eſt bonum, & quo modo & gradu ſui communicativum eſt, eo modo & gradu bonum eſt. Hinc, quanta eſt varietas boni, tanta etiam communicationis, & quo quid habet excellentius vim communicandi, eo excellentius eſt. Ubi eſt communicativitas, ibi eſt poſſibilis communicatio, & qualis & quanta bonitas, talis & tanta communicabilitas. Ubi eſt infinita communicativitas, ibi eſt infinita communicatio, ſecus abſurda eſſet illa infinita communicativitas, cum omnis potentia activa ſit propter actum. Ubi eſt communicativitas, ibi eſt communicatio poſſibilis, non autem ibi eſt neceſſario communicatio.

XXXIV. *Ut varii Entium, ita varii ſunt bonitatis gradus*, qui omnes à ſummo bono fluunt, & in illud refluunt, juxta Principium 26. Prout ſunt varii appetitus, ſic etiam bonitates.

XXXV. *Ex bonitate Entis fluit ejus convenientia*, qua ens unum congruit, ſeu unibile eſt alteri, juxta principium 25. Huic fluit omnis ſocietas. Hæc congruentia eſt inter omnia entia conſentanea. Eaque immediata, vel mediata, quæ eſt profundiorum.

Convenientia eſt vel modus, vel ſimilitudo, vel diſſimilitudo, vel gradus ſeu paritas, vel imparitas.

XXXVI.

XXXVI. *Ex Entis convenientia fluit ejus communicativitas & appetibilitas.* Communicativitas est entis (ut ita dicam) unitivitas, seu est modus entis, quo ens potest alii enti suæ naturæ congruè uniri. Appetibilitas est entis (ut ita dicam) communicabilitas, seu modus, quo ens potest alii uniri suæ naturæ congruè. In omni autem communicatione, est datio & acceptio, eaque mutua, vel non mutua. Hinc omne bonum est appetibile, & omne appetibile, qua tale, est bonum. Unde malum sub specie boni appetitur. Fundamentum appetibilitatis est bonum; nam ideo res appetuntur, quia sunt bonæ, non autem ideo sunt bonæ, quia appetuntur. Sic visibilitatis est fundamentum coloratum. Hoc autem intellige de appetitu finito, non de infinito: ibi in contrario modo se res habet.

XXXVII. *Appetitus Metaphysice sumtus* (ita ut appropinquationem, & fugam, & naturalem & voluntariam, sensitivam & intellectivam sub se complectatur) *est Entis ad Ens habituatio, seu dispositio.* Appetitus est congruus, si appetibile modo graduque congruo appetatur; vel incongruus, si non appetibile appetatur, & utrumque fiat modo graduque incongruo: ut autem appetitus congruus est fons omnis actionis congruæ, ita incongruus est fons actionis incongruæ.

Cum voluntas sequatur intellectum, eodem

dem modo contingit causam esse alicujus volentis, ut velit, & alicujus intelligentis, ut intelligat. In intellectu res sic est, quod si seorsim intelligat principium, & seorsim conclusionem. Intelligentia principii, est causa scientiæ conclusionis, sed si intellectus in ipso principio inspiciat conclusionem, uno intuitu apprehendens utrumque, in eo scientia conclusionis non causaretur ab intellectu principiorum; quia idem non est causa sui ipsius, attamen intelligeret principia esse causas conclusionis. Similiter est ex parte voluntatis, circa quam sic se habet finis ad media, sicut in intellectu principia ad conclusiones. Unde si quis uno actu velit finem & media, alio actu velle finem, erit ei causa volendi ea, quæ sunt ad finem: sed si uno actu velit finem & media, hoc esse non poterit; quia idem non est causa sui ipsius. Et tamen verum erit dicere, quod velit ordinem, ea, quæ sunt ad finem, in finem. Hinc cum Deus intelligat omnia in sua essentia uno actu, ita uno actu vult omnia in sua bonitate. Unde sicut in Deo intelligere causam, non est causa intelligendi effectus, sed ipse intelligit effectus in causa: ita velle finem non erit, non est ei causa volendi ea, quæ sunt ad finem, sed tamen vult ea, quæ sunt ad finem, ordinari in finem. Vult ergo hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc.

XXXVIII. *Incongrui non est appetitus*, quia

quia cognitio est appetentis & appetibilis unitio, quia, quo perfectior est cognitio, eo etiam perfectior est appetitio.

XXXIX. *Perfectio est Entis sufficientia*, seu est modus entis, quo ens habet omnia ea, sine quibus esse non potest, nec debet. Hinc omne ens est perfectum, scilicet perfectione absoluta & essentiali; licet non semper comparata, vel accidentaliter.

XL, *Omne ens habet suas proprietates*, cum secus esset frustra.

XLI, *Ordo est Entis harmonia*, seu est congruentia distinctorum, sive illa sint æqualia, sive inæqualia. Hinc omne ens est ordinatum, vel ordinabile, & contra; nam in eminente est aliqua distinctio, quia distinctio est perfectio.

XLII. *In nullo ordine datur ascensus in infinitum*, secus enim foret congruentia. Hinc universa natura est harmonica.

XLIII. *Ordo est mater omnis perfectionis, confusio imperfectionis.* Hinc ordo est anima mundi, adeoque omnium actionum humanarum. Ubi nullus ordo, ibi nulla cognitio. Absurdus est processus in infinitum, ratione principiorum in omni ordine rerum, non verò ratione principiatorum finitorum in potentia consideratorum. Nunquam enim acta infinita quidem possent esse creata entia, nunquam tamen tot & tantæ res crearentur, quin ad-

adhuc plures possent creari, quod nititur Creantis infinitâ, creati vero finita perfectione.

XLIV. *Ordo archetypus est, cui alia congruere debent.* Estque divinus. Ordo Ectypus est eorum, quæ congruere debent. Ille est radix & norma hujus.

XLV. Sequitur *differentia Entis*, quæ est *habitudo entis dissentanea, adeoque radix combinationis negatæ.* Hæ negationes sunt firmæ, si serventur leges oppositionis, secus, sunt limitandæ.

XLVI. *Differentiæ Entis oriuntur ex varia terminorum prædictorum combinatione.* Unde & ex iis petendæ, & ad eas reducendæ sunt. Hinc inexhausta est illarum immeatio.

XLVII. *Differentiæ Entium sunt claves & indices multiplicationis rerum.* Hinc omnes speciales divisiones, & distinctiones ex eis sunt derivandæ, & ad eas examinandæ. Non autem tantum unde termini sunt applicandi, sed etiam multiplicandi per conjugata sua, & flexiones Grammaticas.

XLVIII. *Ens Immutabile, seu necessarium est, quod aliter esse nequit.* Non necessarium seu mutabile est, quod aliter esse potest, cujuscunque Metaphysici termini id fiat.

XLIX. *Necessarium uno modo potest esse, non necessarium alio modo, & vicissim.* Variato enim rerum respectu, tollitur contradictio.

L. Omne

L. *Omne mutabile pendet ab immutabili, ideoque in illud est resolvendum.* Omnis enim multitudo & incertitudo est revocanda ad unitatem, & certitudinem, secus esset confusio. Mutatio importat intrinsecam denominationem, quæ fit ab accidente, quod intrinsece accedit, & afficit rem: sed extrinseca denominatio, seu prædicatio non arguit novam entitatem, aut realitatem, sed modum se habendi ad aliud, v. g. tu, quia aliquis te videt, diceris videri, & si quis ad dexteram tuam stet dicitur honoratus: & Deus, quia mundum creavit, dicitur Creator, hic certe nihil accedit intrinsecè. Prodromus de duabus in Christo Naturis Examinis aphorismo 3. Num. 3. pag. 772. lib. 5. cap. 11.

LI. *Spontaneum est, quod intrinsecè agendi potentiæ congruit. Coactum, quod intrinsece agendi patientiæ repugnat.* Spontaneum est naturale vel liberum. Spontaneitas liberalis est intrinsecus agentis ad unum ordo, seu habitudo agentis, inquam intelligentis, vel non intelligentis: hinc latius patet spontaneum quem liberum, omne enim liberum est spontaneum, sed non vicissim. Hinc quoque latius patet voluntarium, quam liberum. Omne enim voluntarium est liberum, sed non vicissim.

LII. *Libertas est intrinseca habitudo potentiæ intelligentis ad opposita.* Hinc intellectus est radix libertatis. Est autem libertas naturæ agen-

agentis congrua. Unde primo agenti competit summa & merè activa, secundo agenti subordinata, aut passivo activa libertas.

LIII. *Infallibilitas divinæ Providentiæ Causarum secundarum libertatem non tollit*, quia ipsis congruè agit. Est enim libertatis & radix & conservatrix causa prima.

LIV. *Ens reale est quod revera in rerum natura est. Ens rationis est, quod etsi non sit, tamen esse concipitur.* Hinc absurdissima est consensio entis realis, & rationis.

LV. *Ens rationis analogice respondet Enti reali.* Unde ejus principia, modi & divisiones ei applicantur.

LVI. *Entia rationis sunt utilia vel futilia.* Utrumque radix est intellectus nostri incapacitas, utilium scopus est ejusdem sublevatio, sunt enim mentis nostræ adminicula, entiumque realium pictura. Hinc accuratè cavendum, ne illud, quod est, ex parte intellectus nostri attribuamus ipsis rebus.

LVII. *Privatio est absentia congrui seu debiti.* Hinc & subjecto & habitui analogice respondet.

LVIII. *Privatio re vera est in rerum naturâ*, non quia aliquid ponit, sed quia negat seu tollit. Unde sola, nec est efficax, nec efficitur.

LIX. *Aliud est Ens esse actum, aliud est ens esse actu. Et aliud est ens esse potentiam, aliud potentia:*

tentia: Ablativus innuit quomodo, nominativus qualis res sit.

LX. *Ens simpliciter seu omnimodo impossibile implicat, secundum quid,* seu ita quomodo impossibile non implicat. Illud est, quod nulla potentia est possibile.

LXI. *Negatâ potentiâ necessario negatur actus, & posito actu necessario ponitur potentia,* sed positâ potentiâ necessario ponitur actus, & negato actu tollitur, seu negatur potentia, omnis autem potentia activa fundatur in actu.

LXII. *Actus & potentia sunt proportionalia,* seu actus est congruus potentiæ.

LXIII. *Omne Ens in potentia efficitur, & perficitur ab ente in actu:* nam, quod quis dat, habet.

LXIV. *Omne successivum dicit imperfectionem,* hinc etsi divina nos per successionem concipiamus, iis tamen nulla successio est adscribenda.

LXV. *Compositum est, quod ex pluribus factum est,* tunc necessario includit quà tale, imperfectionem.

LXVI. *Compositum est proportionale componenti & componibili.* Hinc variatis his, variatur etiam compositum.

LXVII. *Simplex est radix & mensura compositi.* Hinc accurata compositi cognitio est ejus in simplicia resolutio.

LXVIII. *Omnis substantia creata est composita*

ı ex *potentia & actu, subjecto & accidente,* que eſt mutabilis.

XIX. *Ens incommunicabile uno, poteſt eſſe nunicabile alio modo, & viciſſim.* Imo omne eſt aliquo modo communicabile.

.XX. *Singulare etſi ſit incommunicabile ad lum generis vel ſpeciei, tamen revera eſt comnicabile, tum intrinſecè ut forma, formato & teriæ, tum extrinſecè.* v. g. efficiens effectis, us nulla daretur communicatio realis in 'um natura.

LXXI. *Omne ens finitum eſt multiplicabile, infinitum eſt immultiplicabile.* Unde neceſſario Deus eſt unus.

LXXII. *Omne Ens actu exiſtens per ſuam ſentiam eſt ſingulare.* Unde principium individuationis concidit cum eſſentia.

LXXIII. *Vniverſalium occaſio eſt eſſentialis rerum ſimilitudo, proxima cauſa eſt intellectus collatio & abſtractio.* Hinc quod competit vel non competit univerſali, competit vel non competit ſingulari. Univerſalia conſiderantur vel ratione rei ſignificandæ, vel ratione rei ſignificantis. Univerſalia nulla dantur abſtractive in rerum natura, adeoque omnium principiorum fons realis eſt hæc propoſitio: Deus eſt.

LXXIV. *Accurata omnis meditatio eſt perfectus mentis aſcenſus vel deſcenſus.* Ille eſt univerſalium ex ſingularibus eductio, hic eſt

universalium ad singularia applicatio.

LXXV. *Differentia & concordantia immeant omnes terminos Metaphysicos.*

LXXVI. *In summis & primis idem est fons concordantiæ & differentiæ*, secus daretur progressus in infinitum. Sic in Arithmetica unitas est principium convenientiæ & differentiæ numerorum. Sic in Metaphysicis Ens, in Physicis Materia prima.

Non omnis differentia fundatur in imperfectione. Differentia est necessaria vel libera.

LXXVII. *Omnis distinctio realis sit fundata in natura*: non enim frustra sunt multiplicanda entia.

LXXVIII. *Omnia à se invicem separabilia realiter distinguuntur*; sed non omnia, quæ realiter distinguuntur possunt à se invicem separari, idque ob arctissimam & summam unionem, secus enim essent frustra.

Quæ realiter differunt possunt à se invicem separari, scilicet ratione, & mente, non autem separantur realiter omnia.

LXXIX. *Omnis distinctio essentialis est realis*, sed non omnis distinctio realis est essentialis, secus in realibus modis daretur progressus in infinitum. Huc itaque pertinet distinctio suppositalis & modalis.

LXXX. *Distinctio rationis non tam fluit ab objecto, quam ab intellectu concipiente*, quem non fallit sed juvat. Est enim cognitionum iteratio.

LXXXI.

LXXXI. *Mensura est, cui aliquid debet congruere.* Unde perfectissimum in quocunque genere est mensura.

LXXXII. *Quo mensuratum magis congruit mensuræ, eo est perfectius; quo magis recedit, eo imperfectius.* Hinc examinatio est mensuræ ad mensuratum applicatio.

LXXXIII. *Signum sit & significatio, & cui significatur*, adeoque sibi ipsi proportionale.

Signum & signatum habent se, ut adjunctum & subjectum occupans. Secundo sunt similia, debet enim esse proportio inter signum & signatum.

LXXXIV. *Etsi signa arbitraria aliquatenus congruunt signato, potissima tamen illorum vis pendet ab arbitrio instituentis.* Hinc est infinita eorum varietas & permutatio.

LXXXV. *Omne principium essentiæ est etiam principium cognitionis*, sed non statim principium cognitionis est principium essentiæ.

LXXXVI. *Principia cognitionis, sunt omnis humanæ cognitionis radix & mensura.* Hinc contra negantem principia non est disputandum ex negatis.

LXXXVII. *Axiomata sunt terminorum primorum combinationes.*

LXXXVIII. *Indissolubilis est omnium principiorum harmonia & mirifica subordinatio.*

LXXXIX. *Usus principiorum absolvitur deductione & reductione.*

XC. *Omnis causa est principium, sed non omne principium est causa.* Idque, vel ob principiati perfectionem, vel ob principii imperfectionem.

1. Ejusdem effecti possunt esse plures causæ totales sibi invicem intime subordinatæ. 2. Causa secunda nihil potest operari sine Prima.

Hinc 1: longe major nexus causæ secundæ cum prima, quam cum quaque secunda: Et longe strictius dependet ab illa. 2. Omnis creatura longe intimius dependet à Causa prima, quam à se, ita ut, solâ divini influxus subductione, protinus annibularetur. 3. Causæ partiales sunt ejusdem ordinis, modi, ac gradus, seu ejusdem generis & habitudinis, vel rationis.

XCI. *Metaphysica agit de causa & effecto, subjecto & adjuncto quatenus sunt entis differentiæ. Logica quatenus sunt instrumenta bene disserendi.* De his consule principia logica.

XCII. *Ens absolutum uno, potest esse respectivum modo alio,* unde nullum ens est omnimodo absolutum.

XCIII. *Habitudo transcendentalis est Enti intrinseca.* Hinc non componit, sed distinguit; non arguit imperfectionem, sed congruam perfectionem. Unde ejus combinatio est infinita,

nita, ex qua fluit abyssus meditationis.

XCIV. *Prioritas, simultas & posteritas* (ut loquuntur Philosophi) *vagantur per omnes terminos transcendentales*, adeoque prædicamentales & speciales disciplinarum.

XCV. *Illuminatum, seu infinitum, tali, vel omni modo* (respectu omnium transcendentalium) *vel aliquo modo, seu respectu quorundam:* illud non potest multiplicari. Unde non datur progressus in infinitum, ratione principiorum: Hoc potest multiplicari. Vnde non repugnat progressus in infinitum, ratione principiorum.

XCVI. *Terminus est id, extra quod ejus, cujus terminus est, nihil est.*

XCVII. *Illud est Ens incompletum, quod accipiendo perficitur, non quod dando perficit.* Hinc ex duobus entibus, omnimodo actuatis seu perfectis, non potest fieri unum per se, scilicet eo modo, quo ipsa perfecta sunt: quia essentia adæquata est una, licet, respectu modalis terminationis, sit pluribus composita, quia non unum habet modum, sed plures, qui omnes sunt intrinsece ens afficientes determinationes; verum hoc ita obtinet, si modi illi plures non sint prorsus ejusdem rationis. Sic, etsi divina essentia, ratione essentialis perfectionis sit semel completissima, ratione tamen personalis terminationis est pluribus completa, videlicet tribus personis ob suam perfectio-

nem communis. Nec tamen ideo infinitis compleri apta est; quia istæ formæ completionem efficientes, non sunt prorsus ejusdem rationis; quia una id, quod altera minus, præstat; adeoque quælibet habet sibi peculiarem & propriam, ad illam essentiam vergentem, modificationem.

XCVIII. *Divisiones entis considerantur, vel à priori*, sic sunt pancissimæ; *vel à posteriori, ratione multiplicationis*, sic sunt quasi infinitæ: cujus veritatis fons est combinatio, & variatio, per conjugata & sub titulos, qui sunt termini Logici. Vnde diligentissima est instituenda specialium divisionum, ad has reductio.

XCIX. *Prædicamentorum fabrica Metaphysica est usus Logicus*: Oritur autem ex congruâ & concatenatâ Terminorum transcendentalium ac specialium combinatione: nam terminus termino junctus, eum restringit ac multiplicat, cujus insignis typus est processio numerorum in Arithmetica: Hinc ex iisdem explicantur, ac in infinitum multiplicantur, reverâ enim termini speciales nihil sunt aliud, quam indices combinationis terminorum generalium.

Non obstat quod ipsa res in Metaphysica considerata, tanquam genus, in diversas species distribuatur. Modus enim considerandi, qui Metaphysicus est, propriè tantum unus est specie; isque rationem formalem addit subje-

cto, per quam Metaphysicæ sit proprium, eumque in certa specie constituit, & ab omnibus aliis artibus & disciplinis essentialiter discernit.

Solius Metaphysicæ est generalem entis divisionem tradere, & summis generibus rerum inventis omnia ad ea revocare. Cujus enim disciplinæ est agere de genere, illius etiam est agere de speciebus illius generis. Vt habet etiam Aristoteles, post. analyt. cap. 23. Atqui solius Metaphysicæ est agere de ente tanquam summo genere, ergo ejusdem etiam est agere de prædicamentis, quæ sunt immediatæ entis species. Præterea, cum prædicamenta nihil sint aliud, quam generum, specierum, & individuorum series, clarissimè patet, illa pertinere ad Metaphysicam, qua talia. Ejusmodi enim ordo est Metaphysicum quid. Ut substantia accidentium, ita tabula substantialis tabularum accidentalium basis est. Illâ itaque inventâ ac memoriæ impressâ, reliqua facile inveniuntur & memoriæ mandantur. Ibi accurate observanda, & exercenda est mutua tabularum immeatio. Atque tabulæ prædicamentales sic perfectæ & ordinatæ omnium disciplinarum, seu Encyclopædiæ geneologiam, ac necessitudinem, nimirum consanguinitatem, & affinitatem, pulcherrime & fructuosissime repræsentant.

Substantia sumitur communiter, pro quocunque ente, quod alteri non inhæret, sed per se subsistit, sive sit essentia substantialis, sive modus substantialis; vel specialiter pro essentia. Ergo hic per substantiam intelligitur quæcunque res alteri non inhærens, non Essentia.

A E-

ALPHABETI PHILOSOPHICI,

LIBER TERTIUS.

Organum Catholicum; seu præcipua principia Logica.

LOgica tradit ac dijudicat omnia disciplinarum instrumenta, seu bene differendi instrumenta, eorumque usus quæ sunt congruæ rationum Logicarum combinationes.

II. *Logica versatur circa ea quæ in nostra potestate sunt*, quæque hoc vel illo modo à nobis fieri, vel non fieri possunt, quorum cognitionem appetimus, non ut mens in ea acquiescat, sed ut eum transferat ad usum & ad ulteriorem finem, Artem esse & habitum esse Organicum, sunt subordinata.

III. *Congrua notionum Logicarum Combina-*

tio est, qua rerum ac notionum naturæ, seu distinctionibus respondet; sive sit affirmata, sive negata: hinc res sunt mensura notionum.

Notio est representamen rei in intellectu. Estque alia prima, alia secunda. Illa rem ut in se est repræsentat immediatè. Hæc collatis notionibus primis repræsentat modum, quo mens rem aliquam intelligit, aut intellectam aliis interpretatur. Formantur enim notiones secundæ vel ex modo res ipsas intelligendi, ut: Genus, Species, Subjectum, Prædicatum, vel ex modo conceptus suos de rebus alteri interpretandi: ut nomen, verbum, conjugata, quæ voces in sermone communi aliud ferè significant, quam in scholis, quia excogitatæ sunt ut earum adminiculo sermo communis, animique conceptus rectius formarentur.

Quanquam reliquarum disciplinarum præcepta à Dialecticæ præceptis separentur; usus tamen aliarum artium Dialecticæ usu carere non possunt.

IV. *Notiones Logicæ sunt specula & typi mutuæ rerum Encyclopædiæ habitudinis.* Hinc logica est armamentarium seu relationum tabula. Notio prima est mensura notionis secundæ.

V. *Logicarum notionum ob mutuam proportionem immeatio est infinita.* i. e. mutua notificatio, seu explicatio, probatio & amplificatio.

VI.

VI. *Notiones Logicæ sunt simplices vel combinatæ*, quæ subintellectis oppositis sunt intelligendæ Theoreticè, Practicè, Poëticè. Illæ vocantur inventiones. Hæ dispositionis instrumenta. Illa materia. Hæc forma dissertationis.

VII. *Notiones Logicæ simplices sunt*, ut sint omnis dissertationis radices primæ & semina. Suntque thema & argumentum.

VIII *Thema est circa quod omnes notiones totiusque dissertationis animus occupatur.* Hinc est omnis meditationis basis, norma & scopus.

IX. *Thematis perpendatur convenientia & differentia.* Convenientia cum meditationis principiis convenientia. Congruat itaque thema intellectui, voluntati, facultati, itemque circumstantię, loco & tempori. Pro themate simplici possumus ponere, & vocem & phrasin, & carmen, & periodos, & integrum Caput, Epistolas, & integrum librum.

X. *Differentia Thematis est ejus ab aliis distinctio*, quæ inquiratur reductione thematis ad prędicamenta Encyclopædię & tabulam loicę: his itaque observatis, ex themate digno modo, graduque debito discriminis, sua enim sponte alliciet mentem.

XI. Argumentum est instrumentum logicum, quod omnia themata notificantia, meditanti suggerit, Mentem rebus seu Eucyclopædię terminis applicando.

XII. *Omnia Argumenta seu termini simplices sunt relata*, seu eorum notificatio est mutua: Hinc Entia se mutuo notificant. Et omnis humana inventio est ex collatione rerum inter se.

XIII. *Duæ res possunt habere varios respectus*. Hinc oritur collationis varietas, seu modificatio usus in subtilioribus.

Una eademque res pro diversa affectione referri potest ad omnia Argumenta. V. G. Homo potest considerari tanquam causa hominis, tanquam Effectus Dei, tanquam subjectum scientiæ.

XIV. *Argumenta sese immeant necessario vel contingenter*, id est duo Argumenta necessario conjunguntur, vel distinguuntur, quorum unum facit ad alterius scientiam. Necessario distinguuntur quorum uno posito, alterius essentia destruit. Contingenter distinguuntur, quorum unius essentia potest esse sine altero. Hinc fluit collationis varietas.

XV. *Arguere est notificare, notificare est explicare, probare vel amplificare.* Explicatio est thematis obscuri notificatio, hæc facit ut aliquid de themate cognoscamus. Hæc est basis sequentium, & insigniter juvatur his novem quæstionibus themati affirmativè vel negativè applicatis, quid, de quo (unde, cujus, ex quibus) quare, quantum, quale, quando, ubi, quomodo, cum quo.

Ex-

Explicatio facile instituitur si percurrantur omnia axiomatis genera.

XVI. *Probatio est explicationis confirmatio, seu incerti thematis notificatio*, cujus quæstio est utrùm, quæ sæpius plerisque cogitationibus debet applicari: universum hujus artificium consistit in applicatione congrua: Est & non est, Gradus & modus. Congrua applicatio est cum argumentationis, definitionis, & quatuor leges oppositionis observantur, quæ omnia multiplicanda sunt per differentias temporis theoretice, practice & poëtice. Probatio bene succedit si omnia usque Syllogismorum genera bene percurramus.

XVII. *Est & non est usurpantur tripliciter.* 1. Si est unum consentaneorum, est & alterum, & si non est unum, nec alterum erit. 2. Relatorum unum non est alterum. 3. Si res est unum dissentaneorum, non est alterum. Consensio & dissensio est Logica seu mentis, eaque generalissima, vel realis, eaque varia pro varietate disciplinarum, titulorum, vel subtitulorum, ut Politica vel Ethica.

XVIII. *Quantum est argumentorum unum, tantum est alterum*, secundum tres comparationis gradus, sive magnitudinem, sive multitudinem, sive ordinem spectes.

XIX. *Quale est argumentorum unum, tale est & alterum*, scilicet si observetur modus defini-

finitioni inclusus: ut autem observatis his canonibus eorumque immeati ne congrua est probatio, ita his neglectis incongrua, quare vocatur fallacia, ut probationes ad hos canones examinare deprehendantur, nimirum: Est & non Est, Quale & Quantum, confunduntur.

XX. *Amplificatio est explicationis vel probationis iteratio.* Hæc facit ut de themate variis modis cogitemus. Ejus instrumenta sunt quinque, Definitio, Antithesis, Comparatio, Distributio, & Congeries testimoniorum. Amplificatio optimè constituetur si omnia inventionis loca vel opponantur inter se vel comparentur inter se, vel denique conglobentur.

XXI. *Tabula argumentorum logicorum est clavis omnis Geneseos & Analyseos.* Nam congrua, i. e. univoca, & analogica rerum applicatione absolvitur omnis meditatio humana. Hæc autem tabula nec nimium est coarctanda, nec nimis amplificanda, sive ex ipsa rerum natura & differentium usu est petenda.

XXII. *Tabula hæc tota non potest singulis thematibus applicari*, idque vel ob eorum perfectionem, vel imperfectionem.

XXIII. *Certa sit proportio inter res ipsas, argumenta, eorumque probationem seu significationem*, unde certis notis insigniuntur, quæ ex grammaticis & logicis petenda sunt.

XXIV. *Consensio & dissensio immeant totam*

tam logicam. Illa convenientiæ: Hæc differentiæ est nota. Illa negando, hæc affirmando exprimitur.

Consentanea quia sunt conjuncta pariunt affirmationem, unde modi identitatis colliguntur ex locis inventionis consentaneis, tum generabilibus, tum speciabilibus, qui etiam possunt colligi ex prædicabilibus, prædicamentis deniq; juxta transcendentia, in quibus modus identitatis. 1. Semper debemus quærere tertium, juxta regulam auream, quæ in uno tertio conveniunt &c. 2. Modi illi identitatis vires suas exercent etiam in axiomate quantum ad æquipollentiam valent, & in syllogismo affirmativo. 3. Modi illi identitatis, ut & diversitatis debent revocari ad unitatem Catholicam.

XXV. *Argumentum artificiale est mensura inartificialis.* Primum, Orti simplex comparati, consentaneum dissentanei.

XXVI. *Artificiale argumentum meditantis collatione.* Inartificiale sola observatione invenitur. Ibi denominatur scientia. Hic fides.

XXVII. *Causa est à qua res quoad essentiam dependet.* Hinc potissima effecti cognitio consistit in cognitione causarum quæ est resolutio in prima principia. Unde scientia Dei est perfectissima.

Causalitas nihil aliud est quam ratio causandi,

di, quæ ratione diſtinguitur ab ipſa cauſa. Quando igitur occurrit illa definitio, cauſa eſt cujus rei cauſatum eſt, per vim intelligas oportet non accidens, ſed ipſius cauſæ eſſentiam; ſi namque vis illa eſſet accidens cauſæ, omnis cauſa efficeret per accidens, ſeu medium & inſtrumentum, quod eſt contra decreta ſapientum, qui ſtatuunt nihil primo intercedere inter cauſam & effectum. Scaliger exercit. 1. Sectionis, & exercit. 307. Sect. 16.

XXVIII. *Cauſa habet quod dat vel eodem, vel excellentiori modo.* Hinc nihil eſt cauſa ſui ipſius, unde neceſſario concluditur, eſſe aliquod ens ſimpliciter independens.

XXIX. *Poſita vel negata cauſa, ponitur vel negatur effectus proportionalis.* Cauſa in genere hunc præſtat uſum, ut paret ſcientiam, ſive cognitionem à priori. Merito itaque locus cauſarum dicitur fons omnis ſcientię, ſive cognitionis diſtinctæ. Oportet itaque in cujuſq; thematis tractatione cognoſcere, quomodo cauſæ internæ & externæ ſeſe habeant. Quam ad rem inter alia ſunt, & in reliquis locis inventionis plurimum conducunt ipſa vocabula, quæ ſunt veluti ſervæ logicorum.

Quas diviſiones recipit cauſa, eaſdem cauſatum. Cauſa in genere.

XXX. *Qualis & quanta eſt cauſa, talis & tantus eſt effectus*, quoad modum & gradum, utriuſ-

utriusque definitioni intrinsecum. Hinc formaliter variatis causis, variatur effectus.

XXXI. *Omnis varietas causarum secundarum resolvenda est in primam, tam in certo genere, quam simpliciter:* secus daretur progressus in infinitum contra canonem 28 Metaph. intellige de nexu causarum necessario, non contingenter.

XXXII. *Causa subordinans seu principalis, non tollit subordinatum, seu minus principium; & vicissim.*

XXXIII. *Mutuus est diversi generis causarum nexus, & illatio,* licet inæqualis non à prioribus ad posteriores contingens, à posterioribus vero ad priores necessaria est illatio. Hinc quoque negatis prioribus tolluntur posteriores necessario.

XXXIV. *Omnis Effectus habet efficientem & finem.* Etenim à nihili nihil fit, nec fit aliquid frustra. Ideoque summus efficiens est quoque summus finis, & vicissim. Hinc duplex oritur universæ naturæ harmonia, duplexque instituenda est ab homine resolutio omnium effectorum, Theoretica & Practica.

XXXV. *Finis est bonum illud propter quod efficiens producit effectum.* Hinc omnis finis qua talis est bonus, & saltem ad minimum principali efficienti cognitus.

Finis principalis non tollit accessorium in ordine illo, quem ipsa natura & Philosophia docet.

Actus

Actus ille quo voluntas absolutè in finem fertur, natura semper, quandoque etiam tempore præcedit eum, in quo in eundem finem per media, & in ipsa media fertur. Primo in finem ipsa voluntas,& postea deliberamus quibus mediis eam assequamur, postquam vero idonea quædam eligimus certaque media,tum finem illum non aliter quærimus, aut volumus, quam per cor interventum: Contradictio igitur non est: velle finem aliquem ante certum medium statutum, nec tamen efficere nisi medii interventu.

Hæc autem locutionis forma non in fine tantum, sed & in aliis causis usurpari potest, v. g. Deus vult Socratem esse hominem, qua, vel quia habet animam rationalem, necesse est etiam ut sit verũ sic Deum velle. Verum tamen non est,hanc esse rationem qua Deus voluit Socratem esse hominem quia habet animam rationalem: quod primum est in intentione, id semper ultimum est in executione operis: ea quæ sunt ad finem habent se ut causæ efficientes actu influentes in finem ut effectum, atque adeo necessum est ut ordine priora sint fine suo, causa enim est prior effecto, sed in voluntatis actu & intentione, non ita, sed è converso se res habet, nam voluntas per finem devenit ad volendum ea quæ sunt ad finem, & finis hic est causa, media vero sunt causata, seu finita, vel ratione finis destinata; atque hac ratione or-

ordine priorem esse finem, quam quæ ad finem veniunt, tam certum est, quam principium prius est suo principiato. Itaque verum est eundem plane esse ordinem omnis decreti, & executionis, hoc modo scilicet: e. g. Ita decrevisse Deum ut eo ordine ac modo res quælibet efficiantur, quo in tempore efficit, aliàs decretum illud suum non exequeretur: si vero de proposito ac intentione, quam actus exequendi in ipsô decreto sequitur, hęc dicta fuerint, tum eundem ordinem facere, est ordinem rectum invertere.

XXXVI. *Media & effectui & fini tanquam mensura, & sibi congruunt.* Hinc oritur mediorum delectus, quod enim fini ratione modi & gradus est congruentius, est etiam eligibilius.

XXXVII. *Efficiens causa est quæ propter finem producit effectum.* Hinc requiritur inter omnem efficientem & effectum unio, seu contactus, isque vel virtualis, vel essentialis. Quæ omnis communicatio præsupponit, unio nempe. In prima autem causa & essentialis, & virtualis unio requiritur. Nihil fit sine efficiente causa. Efficiens non producit malum efficiendo, sed deficiendo. Efficere est novam & distinctam essentiam extra suam essentiam effectivè constituere, ergò cum in divinis non diversa & nova essentia, sed suppositum, sive persona producatur in Deo, non est effectio: nam quando relatio generandi, personam Patris constituere

tuere dicitur, ibi non intelligitur constitutio per effectionem, sed formalis ratio patris, qua formaliter, & distinctè constituitur, distinguiturque à cæteris personis, quæ sane quia ipsa res est, posterior esse nequit.

XXXVIII. *Causa procreans est quæ facit ut res sit.* Conservans quæ facit ut porro sit. Corrumpens quæ facit ut res, quæ fuit, non sit, vel saltem deterior sit. Causa autem prima facit hæc omnia.

Si causa procreans est, effectum esse potest. Si conservans est effectum, permanere potest. Solitariæ causæ, solitarium; partialis, partiale est effectum. Meritoriæ causæ est effectus antequam existat, si modo certo est futura. Hinc etiam V. T. fideles salvati sunt vi meriti Christi, etiamsi ipse Christus tum actu non fuerit passus, resuscitatus &c. Si nulla est in rerum natura causa efficiens, ita ut ab ipsa nihil penderet, tum nihil esset in mundo. Cum enim entia sint multa, ergo omnia essent independentia, atque omnis perfectionis capacia. At vero cum nullum eorum posset habere aliorum perfectionem, consequens est, aut omnia ab uno aliquo reliqua efficiente pendere, aut omnia nihil esse.

XXXIX. *Causa principalis est qua potissimum producit effectum*, sive sola in eodem genere. Hinc causa minus principalis sine principali est inefficax. Itaque solitaria non excludit

cludit subordinationem, sed coordinationem.

XL. *Etsi impulsiva possit esse efficax sine externa, tamen externa nihil potest sine interna.* Hinc omnis causa moralis est resolvenda in internam, seu in Physicam.

XLI. *Causa instrumentalis agit vi principalis.* Hinc una est actio utriusque.

XLII. *Efficiens per se est, quæ sua; per accidens quæ aliena vi agit.* Hinc omnis causa per accidens resolvenda, seu revocanda ad causam per se, quia omnis effectus præsupponit causam congruam: quo autem causa est universalior, eo plures effectus ad eam reduci possunt. Hinc respectu Dei nihil fit per accidens.

XLIII. *Causa per se vel est naturalis, vel libera.* Illa est quæ eodem modo se habens necessario agit idem. Hinc est invariabilis nullisque legibus adstringenda. Eodem modo scilicet tum in se, tum respectu aliorum, hinc vel unico modificante variato, variatur totus effectus. A causa naturali non impeditâ necessaria est consequentia: Ignis est, ergo urit. Voluntas & facultas sunt adæquatæ causæ effectus liberi. Hinc ab hac causa, positis illis ducitur necessarium argumentum: ut Deus decrevit mundi conflagrationem, ergo certo eveniet.

XLIV. *Causa per accidens est talis vel respectu naturæ, vel voluntatis.* Respectu naturæ est

eſt præter & contra naturam. Illa eſt quæ ex naturali quadam inclinatione non fluit, non tamen illi repugnat: ut locutio Aſinæ Biliami. Contra naturam eſt quæ naturali inclinationi repugnat, adeoque ad deſtructionem tendit, contra naturam inquam particularem, nunquam contra univerſalem, quia hæc implicat contradictionem.

XLV. *Reſpectu voluntatis cauſa per accidens, eſt imprudentia, vel coacta.* Illa eſt quæ ex congrua cognitione non agit. Ignorantia autem hæc eſt vel objecti, quæ excuſat, vel juris particularis, quæ ad tempus, vel denique juris univerſalis, ſeu omnibus hominibus noti, quæ plane non excuſat. Coacta eſt, quæ aliquid facit contra voluntatis inclinationem. Hinc qui ſecundum voluntatis dictamen agit, liberè egiſſe judicatur: non enim poteſt cogi voluntas, ſed externa tantum voluntatis.

XLVI. *Cauſæ per ſe effectus per ſe, cauſæ per accidens effectus per accidens eſt tribuendus.* Hinc oritur varietas pœnarum & præmiorum in practicis diſciplinis.

XLVII. *Cauſa interna eſt quæ non ſolum dat eſſentiam cauſato, ſed etiam eſt pars eſſentiæ.* Hinc ſoli & omni compoſito competit. Eſtque inter ipſam & effectum nexus plane neceſſarius.

XLVIII. *Cauſa interna eſt proportionalis effe-*

effecto, seu qualis & quanta est causa, talis & tantus est effectus.

XLIX. *Causa interna est materia & forma.* Hinc negata una negatur altera, & actu posita una ponitur altera. Materia & forma æque concurrunt ad constituendum totum, sed non æqualiter, quia eadem est virtus & dignitas, sed non ejusdem gradus. Virtus enim & dignitas formæ longè major est, utpote quæ dat esse rei, non tamen dat esse specificum, sed entitativùm. Materia enim dat, seu facit τὸ aliquid, sed forma facit hoc aliquid.

L. *Qualis & quanta est materia, talis & tanta forma, & vicissim*, seu materia & forma sunt proportionales. Materia variat rei dignitatem. Materia diverso respectu agit & patitur: agit respectu materiati, patitur respectu formæ. Materia est principium multiplicabilitatis.

LI. *Materia est causa interna, quæ accipiendo constituit materiatum.* Hinc ipsa negata proportionaliter, negatur effectus. Accipit autem, seu recipit materiam formamque consequentia, sicque ex ipsa vel fit vel constat materiatum, ut ex sanguine fit homo, constat corpore organico.

LII. *Forma est causa interna, quæ dando constituit formatum.* Hinc ipsa posita vel negata, ponitur vel negatur proportionaliter formatum.

Forma est principium singularitatis. Hinc for-

formæ eſt. 1. Determinare rem. 2. Diſtinguere. 3. Conſtituere. 4. Forma eſt certæ materiæ. 5. Eſt incommunicabilis alteri. 6. Subſtantialis conſiſtit in indiviſibili ſi ſit immaterialis.

LIII. *Forma eſt præcipuus fons eſſentiæ, differentiæ & operationis formati.* In una re ſunt plures formæ ſubſtantiales, ut in homine, ſed non totales neque ſpecificæ, ſed genericæ & partiales. Formæ non datur forma in eodem genere. Una res non poteſt habere plures formas prorſus ejuſdem rationis, ita ut ſit non ſolum generica & ſpecifica identitas, verum etiam numerica; adeoque una nihil præſtet, quam altera, & poſſunt eſſe formæ ejus rationis revera quidem in genere & ſpecie etiam proxima convenientes, ſingularem tamen quandam diverſitatem habentes, ut una non plane præſtet idem, quod præſtat altera: ſi enim idem præſtarent plures formæ, eſſent ſupervacaneæ quædam. Hinc poſſunt eſſe in Deo plures ſubſiſtentiæ, ſeu formæ ſuppoſitales, adeoque tria ſuppoſita, quæ dicuntur perſonę divinæ. Quamvis enim quælibet perſona divina ſit ſubſiſtentia divina, & relativa, atque hactenus omnes tres ejuſdem rationis genericæ, & ſpecificæ, tamen alterius rationis eſt ſubſiſtentia Patris, alterius Filii, alterius Spiritus Sancti, ita ut inter eas ſit differentia relativa, numerica.

Per formam res eſt id quod eſt, verum per for-

formam adæquatam, res adæquatè est id, quod est, per inadæquatum vero inadæquatè. Per subsistentiam itaque patris divina essentia adæquatè est patri, non vero adæquatè Deus.

LIV. *Causatum est quod, quoad essentiam, à causa pendet.* Hinc ex effectu arguitur causa, quæ demonstratio à posteriori est mater omnis disciplinæ naturalis.

Causatum pendet à causa in essendo, adeoque etiam in cognoscendo. Nam unde se res habet ut sit, inde etiam habet ut cognoscatur. Cui convenit effectus eidem & causa: ut ille suum cuique tribuit, ergo præditus est justitia. Nec clarius, nec efficacius in natura cognosci potest, quam ex effectis & adjunctis propriis.

LV. *Causarum canones & divisiones ad esse, modum & gradum, sunt proportionaliter applicandi causato.*

LVI. *Subjectum est cui aliquid est adjunctum, quod alicui extra essentiam additur.* Hinc subjectum univocè dictum est realiter ab adjuncto divisum. Estque mutua utriusque communio. Si Christus est omnipotens, omniscius, est etiam verus Deus, quia hæc sunt attributa veri Dei.

LVII. *Si est vel non est subjectum, est, vel non est adjunctum, & vicissim.*

LVIII. *Subjectum congruit adjuncto, & vicissim*, seu quale & quantum est unum, tale

& tantum est alterum. Huc pertinet circumstanriarum varietas.

L I X. *Accidens nec sine subjecto, nec sine eo in quo semel fuit, esse potest.*

L X. *Nec subjectum sine proprietatibus, nec illæ sine eo, nec harum una sine altera esse potest.*

Potest aliquid effectum formæ, & adjunctum totius. Omne proprium fluit à materia, vel forma, itaque quam impossibile est compositum esse sine materia, tam impossibile est subjectum esse sine proprietatibus, & quam impossibile est materiam & formam esse sine composito, & unam esse sine altera, tam impossibile est proprietates sine subjecto, vel unam earum sine altera esse &c.

L X I. *Substantia potest adhærere*, seu extrinsecè uniri substantiæ.

L X I I. *Qualibet facultas congruum habet objectum.* Hoc autem est mensura illius.

L X I I I. *Latius patet antecedens, quam causa*, & consequens quam effectum.

L X I V. *Negato antecedente, negatur consequens, & posito consequente ponitur antecedens*, sed non vicissim.

L X V. *Posito vel negato connexorum uno, ponitur, vel negatur etiam alterum.*

L X V I. *Omnia dissentanea enuntiantur negando, & quæ enunciantur negando sunt dissentanea.*

L X V I I. *Dissentanea se mutuo insigniter noti-*

notificant, quia cognitio humana incipit à negatione, præsertim in subtilioribus.

LXVIII. *Diversa potius ad distinctionem faciunt, quàm ad probationem.* Uno enim posito vel negato, non statim ponitur vel negatur alterum. Duplex hic itaque potest committi fallacia.

LXIX. *Si Attribuatur alicui completum disparatorum unum, negatur alterum; si vero negetur unum, non protinus attribuetur alterum.*

Disparatio est in qua talis est oppositio, ut detur similis, adeoque similia exempla.

LXX. *Opposita seu contraria de* Idem, *secundum* Idem, *eodem modo & iisdem circumstantiis attribui nequeunt.* Harum legum vel unica volata, nulla est oppositio.

LXXI. *Contraria, seu adversa immediata & intensa se mutuo tollunt.* In contrariis unum uni tantùm opponitur. Per unum intellige vel unitatem numeri, ut par, & impar opponuntur: vel unitatem speciei, ut virtus opponitur binis vitiis, quia hactenus habent rationem unius, quatenus enormia spectatur. Sic unus Princeps infinitis subditis opponitur quia habent rationem unius, quantum attinet ad relationem.

LXXII. *Relata se mutuo ponunt vi consensionis, tollunt* (respectu ejusdem individui) *vi dissensionis.*

LXXIII. *Posito fundamento & termino,*

ponitur relatio, & negatis negatur relatio congrua. Notandum est autem quod fundamentum relationis sit, remotum vel proximum, seu commune vel proprium. Hinc proprio organo & communi non statim est relatio.

LXXIV. *Contradictio est radix ac norma omnis oppositionis.* Unde est veritatis lapis lydius, & Sophistarum nexus, nam & vanitas præsertim primorum principiorum, & falsitas præcipuè absurdorum occultorum, ostenditur, si propositionis termini definitione resoluti inter se conferantur, sicque ascendatur ad primum principium. Impossibile est idem esse & non esse. In qua collatione diligenter attendendum est, ne leges oppositionis violentur, vel non violatæ censeantur.

LXXV. *Privatio partialis actum, Totalis actum & potentiam tollit*; ab hâc non datur regressus nisi à summa in eodem genere potentia.

LXXVI. *Privatio est habitui opposite proportionalis*, ideoque ex habitu cognoscitur. Est autem efficax non per se, sed vi annexorum & principalis agentis, cujus potest esse causa impulsiva.

LXXVII. *Argumenta comparata nituntur illo principio unitatis, quæ in uno tertio conveniunt, vel non conveniunt, ea inter se conveniunt, vel non conveniunt.* Omnia comparata vi tertii

sunt

ſunt eadem. Ergo ſi non ſint omnimodo idem cum tertio, non poſſunt eſſe idem omnimodo inter ſe. Quæ enim non ſunt idem cum tertio adæquatè, non ſunt idem omnimodo inter ſe, & viciſſim.

LXXVIII. *Tertium itaque eſt baſis & norma omnis comparationis*, quod ſi varietur ratione eſſentiæ, vel gradus, vel modi, fallax eſt comparatio.

LXXIX. *Tertium quod explicitum, vel implicitum, immediatum vel mediatum vagatur per univerſam Encyclopædiam*, ſeu terminos tam Encyclopædiales quam prædicamentales, qui ſunt in priores reſolvendi. Unde oritur regula infiniti uſus. Omnia poſſunt aliquo modo dici de quolibet. Hujus autem deductionis & reductionis norma eſt definita.

LXXX. *Si eſt par unum, erit etiam par alterum, modo graduque pari.* Et ſi non eſt par unum, nec erit par alterum modo graduque pari; ſive paritas ſit ſimplex, ſive combinata.

LXXXI. *Si alicui competit imparitas major, competit etiam ejuſdem generis imparitas minor æquipollens*; ſeu ſi ſuperlativa, etiam comparativa & poſitiva. Et ſi non competit minor imparitas. i. e. poſitiva & comparativa, nec competit major ejuſdem generis ſuperlativus.

LXXXII. *Si majori competit minoritas, competit etiam minori.* Et ſi majoritas majori

non competit, multo minus competit minori. Si majori competit majoritas, etiam competit minori,& si minoritas aliqua minori non competit, neque competit majori.

LXXXIII. *De similibus simile, de dissimilibus dissimile judicium est ferendum.* Cum vero omne simile sit dissimile, de iis erit similiter & dissimiliter judicandum, quo observato similitudo non tantum maximam explicandi vim, verum etiam probandi habet.

LXXXIV. *Similitudo invenitur si thema ad metaphysicas tabulas reducendum, congruè deducatur per universam Encyclopediam*, seu tabulas speciales illius termini, ad quem reductum est thema.

LXXXV. *Argumenta nominalia sunt faciliora realibus*, ideoque in praxi iis præmittenda. Hinc patet Philologiæ necessitas.

LXXXVI. *Conjugatorum accurate observanda est concordantia*, & differentia illa à positione, vel negatione, modo & gradu unius correlati rectè concludit, ad positionem vel negationem, modum & gradum alterius. Hæc est qua non confunduntur inter se, sed distinguuntur, quale & quantum est unum, tale & tantum est alterum.

LXXXVII. *Conjugata oriuntur ex variatione cujuslibet vocabuli per Etymologiam*, seu partes orationis, qua deductio etsi non semper producat voces usitatas, semper tamen producit

cit utiles verbis puris exprimendas. Excellunt autem hic, quæ significant vel potentiam eamque activam, ut *ivum*, passivam *ile*, vel actum *are*, & modum *te*. Hæc inquam sunt præcipua principia, quæ Theoreticè, Practicè & Poëticè sunt explicanda. Ubi notandum quod negata potentia, negatur actus, & posito actu, ponitur potentia, sed non statim posita illa ponitur hic, vel negato hoc ponitur illa. Conjugata sunt signa similia.

Omnis notificatio accurata & solida, cujuslibet rei est ex conjugatis; quia conjugata habent maximam & intimam unionem, ac differentiam, ideoque maximè & intimè notificant. Hinc 1. Omnis proportio rerum fundatur in proportione conjugatorum. 2. Omnis consequentia syllogistica in proportione seu connexione conjugatorum fundatur. 3. Omni enti inest trias illa conjugatorum *vum*, *are*, *tum*, ut hominificativum, hominificare, hominificatum, i. e. homo omnis more suo est operandi potens, operatur, vel habet opus. Abstracta sunt priora ratione nostræ cognitionis quam concreta.

LXXXVIII. *Notio in vocibus cum ratione inventis, vel usurpatis, magnam habet vim*; in inventis inquam, vel usurpatis, ex se exiguam vel nullam.

LXXXIX. *Notationi similis est synonomia*, quæ tum in eadem lingua magnum habet usum,

usum, nam quæ libet lingua certum aliquod argumentum exprimit. Synonima sunc signa æquipollentiæ.

X C. *Destinatio vocis ambiguæ*, quæ est clavis omnis tractationis, facile invenitur, si voci ad certam significationem reductæ, & per disciplinas, earumque partes deductæ, varius usus observetur.

X C I. *Totius, & ejus partium concordantia*, seu communicatio affirmatione, differentia, negantem consequentiam suppeditat. Hinc à positione vel negatione, modo & gradu totius, ad positionem vel negationem, modum & gradum partium necessariarum rectè concluditur: vicissim partium necessariarum unione, modo & gradu ad totum: sed quod toti qua tale competit incongruè parti, vicissim quod parti qua talis est competit incongruè toti; vel alicui parti tribuitur. Pars aliquam & perfectionem & imperfectionem dicit. Illam quatenus unionem & communionem. Hanc quatenus receptionem quandam includit. Partes sunt duum generum. Aliæ sunt tales ut mutuo se perficiant, ac proinde mutuo sibi dent perfectionem, ac accipiant. Quemadmodum duæ partes sunt materia & forma substantialis materialis. Aliæ tales sunt, ut alterutra tantum perficiatur, altera vero tantum perficiat. Sic anima rationalis perficit, corpus autem parum vel nihil à se perficitur.

XCII.

XCII, *Descensus mentis est*, quo quid generi competit, speciei attribuitur. Ascensus quo quid speciei competit, generi non repugnare asseritur, quæ scala altissima in quolibet genere est exercenda.

Genus formaliter consideratum, non potest conservari in una specie, at materialiter spectatum potest.

XCIII. *Thematis cujus liber distincta cognitio*, absolvitur distributione & definitione. Hinc omnes disciplinæ his duobus instrumentis constant, est enim utraque thematis maximè interna resolutio. Hinc sunt reciproca seu æqualia themati.

XCIV. *Termini distribuendi cum sibi consentaneis*, inter se vero dissentaneis collatione invenitur varia distributio. Ad distributionem non semper opus est propositione partium, sed sufficit diversitas.

XCV. *Definitio in se continet virtualiter omnem thematis cognitionem*, unde rectè omnium compositorum clavis dicitur. Inveniuntur autem termini definiendi accuratè ad generalia reducti, cum sibi & inter se maximè consentaneis combinatione.

XCVI. *Posita vel negatà testantis facultate*, ac significandi voluntate, ponitur vel negatur modo, graduque proportionali testimonii authoritas.

XCVII. *Divinum, rectæ rationis, & con-*

gruum sensuum testimonium, est infallibile: ideoque omnis agnitionis criteria hæc sunt.

XCVIII. *Positis vel negatis notionibus simplicibus*, ponuntur vel negantur combinatæ, modo, graduque proportionali.

XCIX. *Combinationes congruæ sunt*, quæ rerum naturæ respondent, sive id fiat manifestè combinatione analogicâ, sivè occultè anomalâ, quæ anomalia est redundantia, vel defectus, vel inversio. Rerum autem naturæ pictura, est definitio.

C. *Propositio congrua est* quæ rerum essentię, modo & gradui respondet, cujus intentio est oppido facilis, si perfectarum tabularum prædicamentalium gradus, ac respectus attendatur.

Propositionis prædicatum aut sunt verba, aut epitheta, quæ utraque vel augent, vel minuunt subjecti dignitatem, adeoque ei aut demit aut addit aliquam perfectionem. Ea propositio æquipollet particulari, cujus subjectum pluribus convenire potens, etiam omnibus illis attribuitur quibus convenire potest. Ex hoc dicitur aliqua propositio per se nota esse, quod prædicatum includitur in ratione subjecti: ut homo est animal, hic animal est de ratione hominis.

Per se notum aliquid dupliciter dicitur, vel secundum se, vel secundum se & quoad nos. Illo modo est cum prædicatum includitur in ratio-

ratione subjecti proportionis. Hoc modo est cum omnibus notum est de subjecto & prædicato prædictæ propositionis quid sit.

Propositio Ironica etiam si sit affirmata, tamen est negata sensu & scopo. Deus non est visibilis. sunt argumenta dissentanea, licet sit æquipollens illi: Deus est invisibilis. Et si enim sit æquipollens ratione rei propositæ, non tamen est tale ratione modi proponendi.

Particulæ negativæ semper æquipollent sententiæ compositæ.

NB. 1. Propositiones affirmatæ, negatæ, limitantes, exclusivæ & exceptivæ sunt tales, vel simpliciter, quæ omni modo juxta naturam suam aliquid enuntiant; vel secundum quid, quæ non omni modo aliquid juxta naturam suam enuntiant. 2. Propositiones secundum quid aliquid enuntiantes, sunt tales ratione verborum & sensus, qua protinus cognoscuntur, vel ratione sensus, qua vel ex contextu, vel ex re ipsa, vel ex collatione cum aliis tales esse deprehenduntur. Hinc 1. Falsum illud. Ubicunque diserte non est addita vox aliqua limitans, aut restringens, ibi quoque nulla intelligenda est limitatio, aut restrictio. 2. Ea quæ certo modo à se invicem distinguuntur, certo quoque modo eadem esse possunt. 3. Propositiones limitantes & removentes, respiciant certam subjecti, vel partem, vel respectum, vel statum aut attributum, vel ali-

 qua

qua horum simul. 4. Omnis limitatio generalibus verbis concepta ut aliis quoque rebus eadem applicari queat, semper prædicatum quæstionis afficit, cujus vel causam, vel modum, vel adjunctum respicit. Et quandocunque limitatio respicit ad causam, vel adjunctum sive modum, semper refertur ad prædicatum. Hinc sequitur. 5. Omnis limitatio particularis subjectum determinans respicit ejus partem, & quæcunque limitatio respicit partem, est specialis, eoque duntaxat modificat subjectum propositionis. 6. Particularium limitantium officium est, certam rem determinare. Ergo ubi illæ locum habent, ibi necessum est aliquam rerum diversitatem esse, quæ in illo genere circa quod limitatio versatur conveniat. Hinc ubi est limitatio secundum partem, ibi opponitur altera pars. Et qualis una pars, talis & altera, quantum scil. ad genus, Joan. Bisterfeldin Defensione mysterii pietat. Lib. 1. Sect. 11. Cap. 3. pag. 127. & seq. In synopsi ejus 34, 37. & seq.

CI. *Propositiones in infinitum multiplicantur,* si idem subjectum per universas tabulas congruè deducatur. Eadem vero propositio variatur in infinitum, si eorum subjecti & prædicati respectu observato aliis verbis in tabulis occurrentibus exprimatur.

CII. *Omnia omnium disciplinarum præcepta sint κατηλέπεργτα*, i. e. reciproca.

CIII.

CIII. *Syllogiſmus duabus ex propoſitionibus congruæ combinationis deducit tertiam.* Itaque à poſitione dati, ſeu confeſſi, procedit ad poſitionem negati, vel dubii, qui proceſſus rerum concordantia, & differentia nititur, quæ mirificè tabula Catholica repreſentat.

CIV. *Argumentorum copia, quæſtionis reſolutione, ac cum diſciplinarum incomplexis principiis congrua collatione paratur.*

CV. *Contrariorum argumentorum ſolutio nititur concluſionis reſolutione*, & cum diſciplinarum principiis examinatione, vel veram concedendo, vel falſas præmiſſas negando, vel conceſſas diſtinguendo.

CVI. *Conſectariorum inventio abſolvitur datæ propoſitionis reſolutione*, ejuſque tum ad ſe tum ad alia principia incomplexa, vel complexa applicatione. Ibi eſt axiomatica, nimirum æquipollentia, vel converſio, & oppoſitio. Hic Syllogiſtica deductio. Hic excellit deductio propoſitionum omnium, ex prima omnium, quæ Ens eſt.

CVII. *Methodus quæ homogenea componit, & generalia præponit ſpecialioribus*, eſt magiſtra intelligentiæ & panacea memoriæ.

CVIII. *Homogenea ſibi ſubordinata axiomata facile inveniuntur*, ſi & cum diſciplinæ fine, & inter ſe accuratè conferantur, ad quam rem inſigniter facit tabula catholica.

CIX. *In methodo prudentiæ excellit permutatio*

tatio methodorum, qua thema unius disciplinæ repræsentatur methodo alterius proportionali.

CX. *Praxis Logica est ipsius anima*, adeoque studium ejus sine hac est stultum.

CXI. *Praxis Logica* est vel simplicium combinatio, vocaturque *Genesis*, vel combinatorum reductio, vocaturque *Analysis*, vel denique mixta, estque vel *Genesis Analysis*, vel *Analysis Genesis*, cujus varietas est infinita.

Tot sunt geneses & praxes quot sunt disciplinæ.

CXII. *Praxis Logica consummatur*, si omes termini logici cum universa Encyclopædia misceantur.

ALPHABETI PHILOSOPHICI LIBER QUARTUS.

SPECULUM NATURÆ.

SEU

PRINCIPIA PHYSICÆ.

I. PHysica est Scientia, quæ corporis naturalis attributa per interna ejus Principia demonstrat.

II. Hinc corporis naturalis naturam tum absolutè, tum seorsim, tum comparate seu collectim contemplatur, ejusque convenientiam & differentiam, tam in genere quam in specie imitatur.

III. *Corpus Naturale* est Substantia ex Materia & Forma composita. Hinc Physicus Metaphysica Principia congrue inter se combinata ei applicat.

IV. *Na-*

IV. *Natura* in Phyſicis accipitur, vel pro interno principio & motu, vel pro utroque, vel in ſingulis, aut in univerſis corporibus ordine & combinatione.

Natura eſt Principium primitus & Divinitus corporibus ingenitum, modò & ordine cuique proprio conſtanter obſervandi aſſignatum ſuum ortum, ſtatum & uſum.

V. Quæcunque corpori accidunt, aut ſunt ſecundum naturam (quæ ex ea fluunt) aut ſecundum Artem (quæ à vi humana voluntaria) aut ſupra Naturam (quæ à vi Angelica vel Divina) aut præter Naturam (quæ eam minuunt) aut dènique contra Naturam (quę eam tollunt) Ignoratis autem Principiis de reliquis dextrè judicari nequit.

VI. *Principia Naturalia* Principiatis & ſibi ipſis ſunt proportionalia, unde ex uno cognoſcitur alterum.

Corporum naturalium communio arguit omnium corporum primam communemque materíam.

VII. *Materia prima* eſt Eſſentiale corporis naturalis principium, omnium naturalium perfectionum receptivum. Hæc ſua natura nulli formæ adverſatur, licet certo modo graduque diſpoſita, quaſdam excludat, quaſdam pro perpetuo retineat.

Ad rationem rei materialis ſatis eſt intrinſecè conſtitui per materiam, quodque rebus materia-

libus est per accidens in fieri dependere à materia unde relinquitur: quod ad substantiam immaterialem non sit satis à materia non dependere in fieri. Hinc à materia est duplex dependentia, altera in fieri, altera in facto esse. Cumque dependentia à materia in fieri possit abesse à re materiali à prius dicta, utique sequitur quod negatio dependentiæ à materia in facto esse, sit adæquata ratio per quam substantia immaterialis dicitur immaterialis.

VIII. Dari Materiam primam præter Scripturam primorum corporum, transmutatio omniumque indissolubilis harmonia docet. Nam omnia corpora separatione, quæ conjunctionem præsupponit, facta esse oportet. Hinc ex incorruptibilibus, ex quovis potest fieri quodvis immediate. Omnia corpora naturalia resolvuntur in occasu Mundi in Aquam primigeniam, præter semina sua, seu substantiales partes eorum naturam individualem constituentes, quod autem hæc non resolvantur in primam materiam, ratio est, quia corpora ita sunt à Deo disposita ut cum suam perfectionem substantialem adepta sunt, nunquam eam amittant. Hinc omnia corpora perfecta sunt immutabilia, quoad partes suam substantiam ultimo & specificè constituentes.

IX. Hæc materia prima, etsi infinita varietate modificetur, semper tamen sua essentialia retinet, adeoque naturaliter nec crescit, nec de-

decrescit, licet varie extendatur atque condensetur. Hinc una re naturali crescente decrescit alia. Quædam quam mirabilem materiæ primę naturam repræsentant pulcherrimè natura sphæræ. Varia datur materiarum ad corpora naturalia generanda gradatio; sic cum inferiora corpora fiunt ex cœlo, ros ex rore, planta ex plantis, animalia &c. producuntur. Cum superiora fiunt, ex terra vapores, ex vaporibus nubes, ex nubibus iterum vapores fiunt, ex quibus stellæ generantur.

X. *Forma* est essentiale corporis naturalis principium perfectivum, hinc & substantia est, & primarius essentiæ, distinctionis & operationis in corpore naturali fons.

XI. Dari in quolibet corpore formam substantialem, substantialis corporum naturalium distinctio, ac indissolubilis facultatum & operationum connexio in singulis probat.

XII. *Forma substantialis* est materiæ suæ proportionalis, & vicissim materia formę Unde formæ nobiliori, nobilior apparatus materię debetur. Ob mutuam hanc proportionem oritur intima, ac substantialis materiæ ac formæ unio & communio.

XIII. Hinc corporis naturalis productio præcipuè consistit in congrua materiæ & formæ dispositione, ac utriusque unione.

XIV *Productio formarum* est vel materialium, aut in remota aut in proxima. Materia, sci-

ſcilicet ſemine latentium congrua eductio, vel eſt immaterialis formæ ab authore naturæ incongruè diſpoſitæ materiæ infuſio. Prius niſi ſtatuatur, dicendum eſt omnes formas creari.

XV. *Formarum ſubordinatio* eſt plurium formarum in eodem corpore naturali congrua combinatio, ita ut una quaſi dominetur, reliquæ inſerviant. Non enim repugnat perfectionem inferiorem inſervire ſuperiori.

XVI. *Attributa*, ſeu affectiones corporis naturalis & operationes, & ſuis principiis & ſibi ipſis congruunt, ſeu ſunt proportionales. Hinc accurata illarum collatio eſt baſis naturæ, nam corporum operatio propria, eſt eorum proprietatum quædam quaſi effigies, ut proprietates nil ſint aliud, quam ipſamet natura rei, certo, ac vario modo, ipſique ſibi conveniente determinata.

XVII. *Corpus naturale*, omniaque ipſi competentia certam habent temporis periodum, ejus præſentiæ modus & gradus accuratiſſimè eſt obſervandus.

XVIII. *Tempus* per ſe nullius eſt efficaciæ, ſed quatenus eſt rerum naturalium ſtatus, ſive conditionis comes, & dux. Hinc temporis obſervatio hoc fundamento carens, eſt ſuperſtitioſa.

XIX. *Temporis ſucceſſivi partes*, præteritum, præſens, & futurum ſeu antecedentia, con-

connexa, & consequentia diligentissimè perpendenda sunt, tam in rerum naturalium motu, quam statu.

XX. *Quantitas* est corporis naturalis divisibilitas, seu quæ habet partem extra partem.

XXI. In corpore naturali non solum magnitudo, seu quantitas continua, sed etiam numerus, seu discreta est perpendenda. Hinc cujuslibet rei naturalis, est quasi certa quædam dosis, quæ in variis ejus generibus, & individuis accuratè est observanda: ejus extrema sunt excessus & defectus: in utraque varia dantur media, & illa media nimirum diligenter sunt notanda, ita extrema cavenda, secus turbatur proportio. Etsi enim quantitas non sit causa naturalium operationum, est tamen necessaria conditio. Hinc universa mathesis occupatur circa debitam corporum proportionem; vel ut eam explicet, vel procuret.

XXII. Corpus naturale ita potest in infinitum dividi, ut maneat corpus, sed non ut maneat tale, ut tale corpus.

XXIII. Corpus eandem quantitatem numero servans potest variè expandi, vel condensari, est enim diversa quantitatis modificatio. Est autem magnum mysterium in natura, quod expansio unius, necessario postulet condensationem alterius cujusdam corporis naturalis.

XXIV.

XXIV. *Figura corpori naturali est proportionalis*, cumque sit materiæ & formæ effectus, propinquius erit utriusque certissimum judicium. Unde omnis Physiognomia derivatur.

XXV. *Localitas*, seu locus internus est *ubi indivisibile*. *Ubi* est modus entis finiti, quo dum existit, non est alicubi. Hinc impossibile est ut idem ens finitum, salvis legibus oppositionis, sit in diversis locis discontinuis, secus esset unum & non unum, seu à se ipso diversum, quod non solum de corpore, sed etiam de spiritu est intelligendum.

XXVI. *Ubi divisibile* est modus corporis, quo dum hic est, una ipsius pars necessario alibi, vel illius, vel alterius corporis pars existit. Hæc autem alterius corporis quantitas, seu exclusio, vocatur loci occupatio. Unde simpliciter impossibile est corporum penetratio.

XXVII. *Ex corporis finitudine & penetrationis impossibilitate* clare sequitur fieri non posse, ut corpus aliquod, vel simpliciter, vel contra naturæ suæ modum, sit ubique.

XXVIII. *Locus externus est corporis minoris adambiens respectus*, quo si sit naturalis dicit habitudinem corporis, naturæ consentaneam.

XXIX. *Loci per se nulla est efficacia*, sed quatenus congrui corporum concursus, seu combinationis, est necessarium antecedens, connexum, consequens.

XXX

XXX. Ut ob congruam cum amicis corporibus unionem quodlibet corpus locum naturalem appetit, ita omnimodam ab iis separationem, seu vacuum vehementissimè horret, quæ fuga vacui est plurimarum naturalium operationum fons.

XXXI. *Situs* est congruus partium corporis ordo, qui in rerum præsertim dissimilarium fabricatione accuratissimè est contemplandus. Comprehendit autem sub se, sex positionis differentias, ante, retro, sursum, deorsum, sinistrorsum, dextrorsum, seu ab utroque latere. Quæ singulis corporibus applicatæ, insigniter promovent, & circumstantiarum reddunt Physicam collationem.

XXXII. *Qualitas corporis naturalis* est corporea agendi vel patiendi potentia. Corporea dicitur, vel quod sit corporeus modus, vel quod corporaturam præsupponat, aut comitetur.

XXXIII. *Qualitas Physica* corpori naturali, adeoque ejus principiis, imprimis formæ est proportionalis. Hinc proximus est omnis physicæ operationis fons, & organum; cumque corpus sit finitum, sphæram agendi vel patiendi habet finitam. Hinc quo corpus est propinquius, eo cæteris paribus erit efficacius.

XXXIV. *Inter agens & patiens requiritur & unio & proportio.* Unio autem vel est immediata, seu corporea, vel mediata seu virtutis,

tutis, quæ ut est obscurior, ita plerumque solet esse efficacior, debet autem agens majus, seu potentius esse patiente.

XXXV. *Corporum naturalium respectus* in absoluta ipsorum natura fundatur, qui vel est consentaneus ipsorum naturæ, vel dissentaneus. Ille vocatur Sympathia, quæ est relatio. Hæc Antipathia. Ubi nota quod corpora physica, & sympathia physica sint subjectum & adjunctum, sed corpora sympathica sint consentanea relata.

XXXVI. *Qualitas corporis naturalis* vel est prima, seu simplex, vel secunda, seu combinata. Illa est fons hujus, quo autem est combinatior, eo est cognitu difficilior. Hinc perfecta quantitatum cognitio est perfecta secundarum in primas resolutio.

XXXVII. Occultioris rerum naturalium sympathiæ, ac antypathiæ combinatarumque qualitatum, congrua praxis seu combinatio, dicitur *Magia naturalis*, cujus basis & solida virium naturalium cognitio, scopus plenus earundem usus.

XXXVIII. *Motus Physicus* est corporis naturalis operatio, seu est physicarum affectionum actus, & exercitium, hinc iis est proportionalis.

XXXIX. In quolibet motu sunt termini, à quo depositio, & ad quem acquisitio, præcipuè autem terminus ad quem specificat motum.

XL. In

XL. *In motu attendenda est proportio moventis, mobilis & concurrentium*, seu concomitantium, quorum vel unico variato, variatur etiam motus, quam proportionem quia explicat mathesis, est magistra motus.

XLI. *Motus substantialis*, qui est terminus motus accidentalis, est generatio, vel corruptio. Generatio est motus à non esse, ad esse. Corruptio est ab esse ad non esse, quæ licet sint continua, tamen ob perpetuam materiæ informationem, & formarum antipathiam se mutuo comitantur.

Generatio physica duo continet 1. Rem genitam prius non fuisse, quam fuerit ad esse permota, seu producta. 2. Modum quo à non esse ad esse pervenerit, nempe per generationem ex alio.

XLII. *Motus localis* est maximè universalis, evidens, & reliquorum fundamentum; & comes.

XLIII. *Alteratio*, vel est *alteratio congrua*, tenditque ad ejus generationem, vel conservationem; vel *incongrua*, tenditque ad corruptionem; vel vero *neutra*, seu *indifferens*. Deducitur autem alteratio per omnes qualitatis species. Attendendus est utrobique excessus & defectus.

XLIV. *Accretio & diminutio* certos habent terminos rerum speciebus congruos.

XLV. *Motuum combinatio* est infinita & dili-

diligenter attendenda, quare corpus quo combinatius, eo etiam multiplicior eſt ejus motus.

XLVI. *Phyſica generalis* ſuppeditat terminos ad principia omnibus corporibus naturalibus in ſpecie applicanda. Ex illorum combinatione ſpeciali oriuntur, explicantur, demonſtrantur, ac multiplicantur. Unde fluit analyſis, ſeu examen Phyſicum.

XLVII. *Phyſiologia ſpecialis corporum naturalium*, ſpecies recenſet, iiſque generalia principia congruè applicat, quæ etſi ſint plurima, revera tamen ſunt numero finita. Hinc ut eſt uſui propior, ita eſt cognitione difficilior.

XLVIII. *Species corporum naturalium*, durante naturâ ſunt perpetuæ, non quod ſemper reperiantur, ſed actu exiſtant, vel potentia Phyſica in ſuis principiis, hic in naturæ Theſauro lateant. Unde congruo ordine ac tempore prodeunt. Ipſarum autem mixtio ſive combinatio, accidentaliter eas modificat.

XLIX. *In omnibus corporum naturalium ſpeciebus* dantur ſingularia quædam exempla, quæ vulgaribus collata anomala videntur, licet univerſo naturæ ſyſtemate ſint analoga.

L. *Species corporum naturalium* cognoſcuntur, vel à priori ſeu generalium combinatione, vel à poſteriori ſeu experientia. Illa via eſt facilior, ſed incertior, hæc difficilior ſed certior.

LI. *Simplicibus corporibus*, id eſt ex aliis cor-

corporibus non compositis, simplicia; compositis pro ratione combinationis composita attributa competunt.

L I I. *Cœlum* est corpus simplex corporeis attributis perfectissimum.

L I I I. *Cœlestium cum inferioribus contiguitas & concordantia*, ac ordinatissimâ totius mundi ex Chao, seu primo globo eductio, docet eandem esse corporum cœlestium, ac inferiorum primam materiam.

L I V. *Proxima cœlestium materia* est substantia corporea lucis & expansionis capacissima. Forma est substantia corporea universalissima corpoream illuminandi, agendique vim habens.

L V. Cum cœlum non sit frustra, ipsius autem motus ac duratio moderna, in infinitum continuata esset frustra, tamen sequitur quod ipsius principia, non minus futuræ cessationi, quam præsenti durationi congruant.

L V I. Etsi cœli quantitas sit omnium maxima, tamen & cœli, & inferiorum naturæ proculdubio congruit. Hinc summa etiam Physici cœli pars, in inferiora immediatè vires exercet.

L V I I. Positâ cœli, cœlestiumque rotunditate omnia ipsius congrua attributa facile ponuntur. Ea vero negata necessario negantur.

L V I I I. Posita cœli duritie, nec cœlestium ortus, nec motus, nec alia attributa congrua

fal-

salvari, seu defendi possunt. Ea autem negata omnium ratio reddi potest.

LIX. Cum lucis cognitio sit clavis universæ naturæ, de ea observentur sequentia theoremata.

1. Lux est omnium virtutum corporearum prima & perfectissima, adeoque omnium corporearum actionum fons universalissimus.

2. Cum sit vis activa prima, seu immediata, positis corporibus lucidis ipsa ponitur, sublatis necessario tollitur.

3. Cum sit vis perfectissima, oportet ut quam efficacissimè agat, adeoque celerrimè, & quasi temporis puncto propagetur: ut licet finitè, ad maximam tamen distantiam radiat, id est suam speciem communicat, idque Sphæricè, seu in omnem situs differentiam, denique linea recta, quæ si impediatur, compensatur refluxa, vel refracta.

4. Ex hac lucis radiatione sequitur proportionalis ejusdem luminis propagatio, & modificatio, in qua & lucidi situs, & medii magnitudo, & objecti dispositio, & luminis evidentia accuratissimè est observanda. Omnium autem fermissimus est radius perpendicularis, & quo perpendiculari propior, eo fortior. Deinde hinc oritur admirabilis plurium luminum combinatio, quæ concursus, vel recursus. Concursus est plurium luminum in iisdem terminis circiter constitutorum versus eundem radiatio.

Occursus est plurium luminum ab oppositis terminis, versus oppositos radiatio. Ille est Sympatheticus. Hic Antipatheticus.

5. Ex mirifica hac luminum combinatione immediatè omnium stellarum influxus, mediatè omnium elementorum ortus & occasus, incrementum & decrementum proficiscitur.

6. Lux simplex insensibiliter expandit medium. Collecta, seu refluxa sensibiliter, adeoque calefacit, ex qua expansiva videlicet præsertim lucis, Solis virtute; omnes omnium stellarum motus videntur oriri.

7. Luminosam radiationem imitantur res visibiles, seu coloratæ, quia colores sunt lucis soboles.

LX. *Influxus cœlestium* est, quo cœlestia lucem suam diffundendo universæ naturæ corporeas operationes congruè producant. Idque mediatè vel immediatè, nam in elementa primo, in mixta secundo influunt, hinc fluit vera Astrologia.

LXI. *Congruè producunt si lucem invadant, regantque.* Idque modo graduque congruo, quod ut fiat stellis & stellarum motu opus est.

LXII. *Stella* est corpus cœleste ex congrua distinctæ seu digestæ lucis conglobatione ortum, virtus enim unita est fortior dispersâ.

LXIII. *Motus stellarum* est, quo stellæ vi lucis liberrimè quidem sed ordinatissimè, i.e. suæ, & inferiorum naturæ congruè moventur.

tur. Quare si movetur una, cœlum, seu orbes, patet non modo orbium esse causam motûs stellarum, sed motus stellarum esse causam motus orbium. Hinc stellæ fixæ fixum, planetæ varium, novi novum rebus lumen, ac vim impertiuntur. Motus autem stellarum causa, est earum insita vis, qua quotidie alimentum sibi quærunt, & assumunt ex terra, & aëre, ubi enim aluntur ibi etiam & eo modo moventur. Earum pabulum est vapor, quo in una mundi parte sibi consentaneo consumpto, volvuntur in aliam, & ibi quæsito pabulo sustentantur. Si enim desinat eorum pabulum alicubi, ad id habendum movent se eo, ubi sibi à natura destinatum reperiunt alimentum.

LXIV. *Stellæ anomalæ* sunt tales, vel ratione visus, vel ratione situs vel ortus. Ratione visus sunt quæ vel ob distantiam, vel lucidiorum stellarum propinquitatem; non nisi beneficio instrumentorum opticorum, imprimis tubi observatæ fuerunt.

Ratione situs stellæ anomalæ sunt, quæ ob propinquitatem lumina sua confundunt, adeoque compages una esse videntur: talis est via lactea, aliique cœli candidiores tractus. Hanc ostendit Deus Abrahamo.

LXVI. *Ratione ortus* stellæ anomalæ sunt, quæ licet ratione materiæ sint perpetuæ, tamen ratione visus, vel figuræ sunt temporaneę, quales sunt stellæ novæ & cometæ strictè dicti.

LXVII. *Stellæ anomalæ* ratione ortus innuunt quidem aliquam cœli mutationem, ſed nec ejus naturæ, nec durationi, nec uſui incongruam: nam etſi aliquæ cœli partes mutentur, totum tamen cœlum ac potiſſimæ ejus partes manent.

LXVIII. *Stellæ novæ* ſunt quæ quantitate, figura, loco, qualitatibus ac motu ordinariis ſtellis ſimiles ſunt, ſola vero duratione diſſimiles, quæ tamen diverſitas durationis, ex humiliori, vel altiori ſitu proficiſci videtur, ita ut ſint novæ non exiſtentia, ſed apparentia.

LXIX. *Cometæ* ſunt corpora cœleſtia à corpore illuſtrata, qui ex ætheris condenſatione oriuntur, ejuſque rarefactione diſſolvuntur. Hæc omnia ita ſe habere, cometarum duratio, quantitas, numerus, figura, locus, ſitus, qualitas ac motus, omniumque varietas apertè innuit.

LXX. Elementorum, i. e. corporum ſimplicium, ſed mixtibilium exiſtentiam, & attributa, mixtorum conſtitutio & reſolutio demonſtrant.

LXXI. *Elementorum accurata cognitio* conſentanea & diſſentanea, tum elementorum inter ſe, tum cum mixtis collatione abſolvitur.

LXXII. *Qualitatum derivatarum, ex primitivarum combinatione deductio*, earumque in primas reductio, eſt clavis & magiſterium Phy-

Physicæ, quam ad rem insigniter facit primorum & generalium terminorum congrua applicatio.

LXXIII. Etsi singula elementa certa in natura loca possideant, per universum tamen inferiorem mundum, singula leviora sparsa sunt.

LXXIV. Alia igni puro, alia cum aliis mixto combinatoque competunt.

LXXV. *Aër* est elementum qualitatibus temperatissimum, adeoque naturæ vinculum.

LXXVI. Etsi *Aqua* per se spectata superficiem terræ appetat, sapientissimè tamen à Deo temperata per universam terram sanguinis instar distribuitur.

LXXVII. *Terra* ut est universi mundi centrum, ita & totius naturæ fundamentum, & seminarium.

LXXVIII. *Mixtio* est elementorum se mutuo sibi congruè communicantium unio, novi corporis productiva.

LXXIX. *Congrua, seu proportionalis Elementorum unio, & communio* est, quæ miscentibus miscendis, & mixtioni modo graduque congruo respondet.

LXXX. *Corporibus mixtis*, mixta attributa congruunt, & competunt, quæ absolutè & respectivè perpendenda.

LXXXI. Qualitates tactiles, visibiles, audibiles, gustibiles, olfactibiles, ut sint diversæ,

tamen sunt harmonicæ, adeoque collatæ se mutuo notificant.

LXXXII. *Qualitates tactiles* ex generalium terminorum combinatione ortæ in eosdem utilissimè resolvuntur, quæ per conjugata multiplicatæ, qualitates, tertias, quartas, & sic deinceps suppeditant.

LXXXIII. *Color* est qualitas visibilis ex lucis opaco cum combinatione orta, seu est lux ab opaco subjecto modificata, est itaque lucis soboles, ejusque generationem, conservationem & cessationem imitatur.

LXXXIV. *Sonus* est qualitas ex corporis resistentis subita percussione mediique motu orta.

Sonus est concussio spirituum in aures penetrantium.

LXXXV. *Sapor* est qualitas ex corporis mixti, & sicci, & humidi vi caloris contemperatione orta.

LXXXVI. *Odor* est qualitas ex sapido cum humido cocto exhalans, seu est subtilis vaporis exhalatio.

Omnia corpora naturalia emittunt odorem, & motum, adeoque spirant, quia odor est spiritus. Hinc omnis odoratio & spiratio: ideoque Spiritum Sanctum scriptura sacra non frustra vocat oleum & unguentum.

LXXXVII. *Temperamentum* est congrua elementorum in mixtis proportio. Congrua in-

inquam elementis, elementaribus attributis & rei mixtæ.

LXXXVIII. Variatur Temperamentum ratione generum, & specierum, & individuorum, uno & individuo ratione modo graduque.

LXXXIX. *Concoctio* est qualitatum in mixto congrua alteratio, seu proportionatio, congrua scilicet coquenti seu coctivo coquendo, & utriusque dispositioni; seu statui maturitas, est congruus mixti status & concoctionis scopus.

XC. *Putrefactio*, vel comes est, vel anteambulo, vel tantum anteambulo vivificationis. Illa dicitur vivifica, hæc mortifica.

XCI. Temperamentorum observandus consensus, & dissensus, variaque illorum combinatio. Et singula sunt cum cœlestibus elementis, speciebus corporum naturalium, ac ætheris conferenda.

XCII. *Mixta* à se invicem, mixtionis modo graduque differunt. Hinc gradatio accuratè est observanda. Hinc posterius includit congruo modo prius.

XCIII. *Meteora* sunt totius naturæ nexus, & clavis: nam simplicia nota faciunt composita.

XCIV. Certa est meteororum subordinatio & coordinatio, quæ diligenter attendenda est.

XCV. *Meteora ignea*, loco, materia, ac vi sunt notabiliora. Ea illustrat, ac imitatur Pyrothecnia, seu artificium ignis.

XCVI. *Ventorum varietas & virtus* per universam Physicam est deducenda.

XCVII. *Terræ motus* ostendit mirabilem inclusorum spirituum vim, ac primam inferioris globi constitutionem docet.

XCVIII. *Meteora aquea* sunt naturæ Thesaurus & promicendrus.

XCIX. *Meteororum apparentium varietas* ex diversa illuminantium illuminatorum modificatione, & graduatione proficiscitur.

C. *In corpore perfectè mixto*, ut unio est accuratior, ita etiam commutatio subtilior.

CI. *Corporis perfectè mixti spiritus corpori, & corpus spiritui congruit.* Hinc ex se mutuo. i. e. internis exteriora, & vicissim noscuntur. i. e. notificantur.

CII. Mineralium, ob locorum naturæque propinquitatem varia est mixtio seu combinatio, quæ diligenter est retexenda.

CIII. *Terræ & succi minerales* sunt reliquorum rudimenta, i. e. insignia virium cœlestium receptacula.

CIV. Omnium metallorum communis materia est *Sulphur* (terra uncinosa) & *mercurius* (aqua uncinosa.) Ideoque non tam specie quam concretionis ac puritatis gradu differunt.

CV. *Varii lapidum gradus* à concoquentium, cocto-

coctorum, excoctionis diversitate oriuntur.

CVI. Ut *gemmæ* ex purissimo humore & copioso spiritu arctè unitis nascuntur, ita præcipuus illorũ usus est in humoribus, ac spiritibus animalibus, præsertim humanis alterandis.

CVII. Ut corporis animati seu vivi (quod est corpus perfectè mixtum, per se & in se habens vim motus) structura est nobilior, ac operosior, ita & ejus functio excellentior.

CVIII. Corpus organicum & anima, cum intimè uniantur sibi, mutuo congruunt, quæ congruentia generaliter & specialiter ac specialissimè est perpendenda.

CIX. *Anima* est spiritus continuus corpori intime, seu essentialiter unitus, omnis vitę fons.

CX. *Animati attributa* & animæ & corpori & sibi ipsis congruunt.

CXI. Omne animatum congruè se habens, sui conservationem, congruum statum ac multiplicationem appetit.

CXII. *Vita* est animæ corpori unitæ vis & operatio.

CXIII. *Calidum & humidum* primigenium seu radicale sunt substantiæ temperatissimæ, animi & corporis organici vincula, quibus vel naturaliter, vel violenter corruptis vita animata cessat.

CXIV. *Planta* est corpus quod vivit tantum, unde perfectivæ ejus operationes sunt, nutritio, accretio, & generatio.

CXV. *Terra* eſt fœcundiſſima, omnium plantarum mater & nutrix,idq;aliquando ſola, ut in prima generatione, & plantarum ſine ſemine productione, vel à ſemine quaſi impregnata.

CXVI. Accurata eſt inſtituenda plantarum tum cum ſe ipſis, tum aliis omnibus corporibus, imprimis cœleſtibus, & animalium partibus collatio, quæ inſtituatur in genere, ſpecie, & individuis.

CXVII. Si plantæ per ſtatus vitæ & facultates quinque deducantur, inſignis illarum uſus fit manifeſtus.

CXVIII. Partes & ſpecies plantarum ſe mutuo notificant, ideoque illarum anatomia eſt inſtituenda.

CXIX. *Animal irrationale*, ſeu *brutum* eſt corpus perfectè mixtum, vita & ſenſu prædi-tum. Hinc conſtat ſuo corpore & ſua anima.

Omnium animalium corpora in utero formantur ab anima ſenſitiva. Omnis autem ſenſus oritur à nervis. Nervi autem ſunt habitacula ſanguinis. Ergo anima ſẽſitiva eſt ſanguis. G. 9. Inteſtina ſunt continui nervorum contactus.

CXX. *Anima bruti* non eſt ſpiritus incorporeus, ſecus bruta eſſent immortalia: proinde eſt ſpirituoſus in ſanguine bruti vivẽs actus, per quem omnes ſuas actiones & operationes edit.

CXXI. Animam bruti immediate comitatur color vitalis.

F I N I S.

APHORISMI PHYSICI.

SECTIO I.

Cosmologia.

I. Physica est scientia corporis naturalis.

Ergo

1. Omnium cæterarum disciplinarum est basis.

2. Sineeâ nec sacra scriptura intelligi, nec vera miracula agnosci possunt.

3. Mechanicæ artes nihil sunt aliud quam omnium corporum naturalium modificationes, graduationes variæque combinationes.

4. Magia naturalis est nobilissima Physicæ pars.

II. Physica per se non agit de spiritibus propriè dictis: agit autem de animâ rationali, nec perfectè cognosci potest sine Dei, Angelorum bonorum & malorum cognitione.

III. Physica solida nititur experientiâ, ratione & Scripturâ sacrâ, quæ res naturales accuratissimè, non solùm populariter explicat. Itaque scriptura non ex opinionibus Physicis interpretanda, sed hæc ad illam examinanda.

IV. Physica Chaldæorum, Persarum, Ægyptiorum, Phœnicum, Schytarum, Pythagorica, Veterum Poëtarum, Democratica, Platonica, Stoica, Chymica, longè præstant Peripateticæ, licèt & ipsæ suis laborent nævis.

Hinc primo Physica Aristotelis Cicromatica valde inepta est: specialis imprimis de Meteoris & Animalibus suam meretur laudem.

2. Arrogantiæ non modestiæ est fingere qualitates occultas humano ingenio in hâc vitâ imperscrutabiles.

V. Physicæ partes duæ sunt, *Cosmologia* & *Physiologia*; Illa contemplatur corpora naturalia junctim, adeoque mundum; hæc sigillatim.

1. Cosmologia vera est clavis universæ Physiologiæ, eique debet præmitti.

2. Hinc Aristoteles universam suam Physicam corrupit, quod falsissimam Cosmologiam & Cosmopoian (mundi ortum) finxerit.

3. Mundus (Hiologicè & Metaphysicè) est perfectissimum omnium rerum finitarum, Physicè, omnium corporum systema.

4. Mundi considerandus, Ortus, Status & Occasus.

5. Mun-

5. Mundus incepit per creationem: Creatio autem nec fuit, nec esse potuit ab æterno: Utrumque non solùm S. Scriptura, sed & recta ratio docet.

6. Quando Mundus fuit creatus, Sol fuit in Librâ, adeoque in Autumno fuit creatus.

7. Creatio immediata facta fuit in instanti, mediata omnis successivè.

Itaque in instanti creata fuit Aqua primigenia, Angeli, & Animæ rationales Adami & Evæ, cætera omnia successivè, quippe per motum & cum motu.

Successivè fuit creata Lux, Cœli, Terra, Mare, Plantæ, Bestiæ, Corpus Adami & Evæ, &c.

8. In creatione est observandum hexæmeron & Sabbatum, utrumque adhuc proportionaliter servat natura, ita ut sanctificatio Sabbathi sit juris naturæ.

9. Creatio mundi est basis & idea naturalis graduationis.

10. Creatio mundi fuit ordinatissima & perfectissima, ita ut creatio primorum corporum promoverit creationem secundorum, & sic deinceps, v.g. creatio Aquæ, creationem Lucis, hæc Cœli, hæc collectionem & separationem Aquarum, hæc creationem Stellarum, &c.

11. Unde ex figurâ Terræ & Maris proportionaliter colligi potest constitutio Cœli, & vicissim, ex hâc illa.

12. Tanta est mundi perfectio ut sufficiat unicus, stulteque fingantur plures.

13. Creatio corporum duas habet partes, *fundationem* & *structuram*.

14. Fundatio fuit in creatione primi & universalissimi omnium omnino corporum seminalis principii, nimirum Aquæ primigeniæ.

15. Unicum fuisse omnium corporum semen, ostendit universalis rerum separatio, & corporum Panharmonia.

16. Illud unicum semen fuisse Aquam (scilicet nec nimis tenuem, nec nimis crassam, sed mediæ constitutionis pinguem) docet tum scriptura, quippe quod ejus status & usus sit universalissimus.

17. Structuræ videnda *Præparatio* & *Proportio*.

Præparatio fuit incubatio Spiritus Sancti, quæ est omnis naturalis efficientiæ fons. Unde

1. Absurdi sunt Unitarii, qui hunc Spiritum, Ventum, Ignem, Aliquamve choas partem fingunt, quasi avis incubans sit pars ovi.

2. Ipsa natura rerum asserit hanc Spiritus Sancti incubationem; si enim natura aliqua sapientissima, liberrima & omnipotens sit intima causa movens, nulla prorsus reddi potest ratio naturalis ordinis. v. g. cur Sol in Oriente & Occidente, in Septentrione, &c. primò ortus sit; cùm in sphæra omnia sint æqualia.

3. Si

3. Si Peripatetici per primam intelligentiam primum mobile, cientem Spiritum S. voluerint exprimere, possunt aliquantulum excusari; si verò Genios intelligunt, est anile figmentum.

4. Proportio structuræ consistit in ineffabili radiorum corporeorum immeatione, quæ parit adamantinam variarum subordinationum & coordinationum catenam, de quibus in Physiologiâ speciali.

VI. Mundi Status est continuata ejus existentia cujus fulcra duo sunt.

Summum, Perseverans, est incubatio Spiritus Sancti, eâ enim vel ad momentum cessante, protinus annihilaretur natura corporea universi; Vel Subordinatum, Spiritus universi.

Spiritus universi corporei nihil est aliud quam summè perfecta aqua, quævis alia corpora fermentans & perficiens, adeoque & in suâ perfectione corpora conservans, & imperfecta perficiens.

Hæc inquam est purior aquæ primigeniæ portio per universalem naturæ scalam ita distillata, ut supra omnes cœlos ascenderit, vicissimque certis naturæ gradibus descenderit, & quasi incorporata sit, à Philisophis Orientalibus vocatur Tinctura & Lapis Philosophicus, estque pulcherrimus naturæ servationis typus.

Status naturæ corporeæ est integer vel corruptus.

Status naturæ corporeæ integer est congruus ille corporum status in quo condita sunt; Secundùm hunc statum potuisset homo naturaliter in æternum vivere; Ejus consectarium mediumque fuit *Arbor vitæ*.

Status naturæ corporeæ corruptus est quo ob & per quorundam Angelorum, omniumque hominum lapsum proportio naturæ ita fuit turbata, ut naturaliter mundus corporeus perire debeat.

Ejus fons fuit *Arbor scientiæ boni & mali*. Proximus, tradux peccatum, & infectio hominis, quæ horribilis contagio, tanquam universale venenum, universum mundum corporeum infecit.

Vera & solida Philosophia quoque hunc statum naturæ corruptum agnoscere potest & debet, unde prophetabatur Paulus Rom. 8, 19. & seqq.

VII. Mundi occasus est quo hic Mundus corporeus præsentem suum statum per resolutionem in primum chaos exuens, esse desinet.

1. Desinet inquam non secundùm substantiam, sed impura accidentia.

2. Desinet per Ignem, adeoque colliquationem quandam, nimirum inferiora corpora magis magisque ignescent; superiora, præsertim stellæ ex numero crescent, & magis magisque descendent, sicque internus terræ ignis,

ignis, cœlesti igni junctus, omnia & se in aquam primigeniam convertet.

3. Philosophia solida & mundi occasum & generalem ejus modum potest & debet agnoscere.

4. Etsi nec Angeli nec homines tempus hujus occasus præcisè scire queant, attamen tam scripturæ quam universæ naturæ repugnare videtur eum intra 7000 annorum abhinc futurum.

APHORISMORUM PHYSICORUM,

SECTIO II.

Physiologia Generalis.

I. SIc fuit Cosmologia; sequitur Physiologia, quæ corpora naturalia sigillatim considerat.

Estque *Simplex*, quæ singula per se; vel *Collativa*, quæ corpora inter se conferendo considerat.

Physiologia Simplex est Generalis vel Specialis, illa est quæ corpora naturalia generatim contemplatur & explicat: hæc etsi utilissima, imò necessaria sit, minimè tamen, ut vulgò fit, in eâ subsistendum,

II. Corpus Naturale est substantia divisibilis, seu partibus congruè unitis constans.

Partes illæ sunt tum Essentiales, tum Integrales: Congrua partium unio infert congruam mutuamque illarum communionem, secus esset frustranea.

III. Corporis Naturalis videnda principia & attributa.

1. Principiorum naturalium varia datur scala & catena, seu subordinatio & coordinatio.

2. Sunt-

2. Suntque Extrinseca, vel Intrinseca: Illa sunt quæ corpori naturali essentiam quidem dant, eam tamen non ingrediuntur; Nimirum finis & efficiens.

3. Nihil in natura frustra, adeoque omnis res, modus & gradus in natura suum habent usum.

4. Hinc in quovis corpore est saltem umbra quædam perceptionis & appetitus, quâ sibi congrua & incongrua percipit, iisque se unit, vel disunit, seu fugit.

5. Finis corporis naturalis est conservatio sui, universi (præcipuè hominis) & glorificatio Dei. Hos fines potiùs Theologus quam Physicus explicat, sic vanum est Physicis in suis Anatomicis se & Lectorem fatigare in applicandis finibus membrorum, ipsorum autem ortum & fabricam tacere. Debebant imprimis indicare ipsorum primas materias, efficientes, similiumque processum.

6. Efficiens corporis naturalis est causa externa à quâ pendet. Eaque vel *prima* à qua omni modo pendet, Deus, de quâ in Cosmologiâ: vel *non prima*, à quâ certo modo pendet.

7. Quodvis corpus naturale intimè pendet à divino præcursu, concursu & succursu, eoque remoto & subducto, protinus perit, haud secus ac subductâ luce lumen.

8. Causarum efficientium naturalium mirifica datur complicatio & combinatio, adeo-

que subordinatio & coordinatio, v. g. binaria, ternaria, septenaria, denaria, duodenaria, &c. quin & centenaria, quarum exacta Analysis est clavis profundioris, solidiorisque Physicæ.

9. Cùm efficiens Physica se communicet corpori Physico, necessum est ut ipsi sit unitum, adeoque semper sit contractus corporeus inter agens & patiens: Is autem est essentialis vel virtualis, ut loquuntur, vel potiùs, *Totalis*, vel *Partialis*.

Contactus Totalis est cum agens est contiguum patienti.

Contactus Partialis est cùm agens suas imagines seu simulachra effundit in patiens. Hic modus operandi est frequentior & excellentior, soletque vocari *Contactus Magneticus*, in quem pleraq; naturæ secreta resolvenda sunt.

Imagines illæ sunt tenuissimi efficacissimique corporum naturalium vapores, continuo fluxu exhalantes.

Suntque Sensiles, ut species visibiles, odores: vel Insensiles quos homo vel planè non, vel saltem obscurissimo tactu, & plerumque non nisi ratione percipit.

Hi sunt præcipui operationum naturalium fontes.

Huc pertinet *Contagium* quod est venenatus vapor, aliud corpus inficiens, malèque afficiens.

Ejus species est Pestis.

1. Pestis

1. *Pestis* est universalissimum & efficacissimum contagium.

2. Estque Generale (Provinciæ) speciale (temperamenti & generis certi) specialissimum certi Individui.

3. *Venena & Antidota* consistunt in singulari quâdam specificatione seu determinatione figurativâ: Itaque ubi proportionalem materiam reperiunt, ibi signaturam suam imprimunt, ubi non, ibi vim suam exercere nequeunt.

4. Possunt autem utraque figuram suam producere, conservare vel consummare.

5. Subtilior natura inquiratur ex crassiorum temperaturâ & operatione.

IV. *Principia interna sunt* quæ suam essentiam dant corpori naturali, seu quæ inter se congruè unita id constituunt: Ea commodè revocantur ad materiam & formam Physicas. Accurratè pars corporis naturalis vel est perficienda, seu movenda, materia: vel perficiens seu movens, forma: vel utriusque vinculum & nexus, materia subtilior pars formæ crassior.

De Formis substantialibus notanda sequentia.

1. Metaphysicè ac Logicè loquendo utilis est doctrina de formis substantialibus; ita enim distinctiùs & accuratiùs cognoscit noster Intellectus operationes & passiones naturales.

2. Physicè loquendo distinguenda est forma

ma immaterialis à materiali. Illa est Spiritus propriè dictus, totoque genere à materia diversus, nempe, anima rationalis: hæc nihil est aliud quam subtilior adeoque efficacior materiæ portio, cæteris crassioribus materiæ portionibus convenientissimè inclusa.

3. Itaque formæ corporum naturalium (exceptâ animâ rationali) ab eorum materia, spirituque connectente, nonnisi modificatione ac graduatione differunt, nullaq; est in ipsis substantia præter materiam. Unde etiam in corporum materialium generatione, verè generantur, in eorum corruptione, verè in sua propria resolvuntur.

1. Ut ex oleo, aliave pinguedine fit ignis, sic ex portione materiæ forma.

2. Ut meteora, mineralia, plantæ, interna coctione perficiuntur, sic quoque partes aquæ primigeniæ certâ modificatione & graduatione præsertim iterata fiunt formæ, ut, sanguis, qui est anima bruti: sic in prima creatione Lucis, Cœli, plantarum & bestiarum, animæ fuerunt productæ.

3. Formæ autem substantiales Peripateticorum, quæ neque Deus, nec Angeli, nec animæ rationales, nec denique corpora sunt, quęque nec creantur, nec ex materia tanquam sui parte generentur, nec annihilentur, nec in corporeum quid resolvantur, sunt pura puta, non solum inutilia, sed & noxia, totamque Physicam obscurantia figmenta.

4. Ma-

4. Manet nihilominus essentialis ac substantialis corporum naturalium (etiam cæterorum præter hominem) differentia, quia ipsorum essentia in certâ materialium, formalium connectentiumque partium unione ac disunione proportione consistit.

V. Materia est pars corporis naturalis ex quâ est, quæque motum potissimum recipit. Hæc est aqua primigenia omnis modificationis, graduationis Physicæ capacissima, adeoque mediæ consistentiæ tenax ac pinguis; nempe nec nimis expansa, nec nimis condensata.

Materia non prima est ex quâ quædam corpora producuntur, quæque certorum motuum est capax.

Hæc differt à primâ certâ modificatione & graduatione, seu corporatione & condensatione.

Materiarum non primarum varii dantur gradus; Estque scala earum ut ordinatissima, ita maxima, sed hactenus obiter inquisita.

In hâc scalâ excellit Trias propiorum hypostaticorum prout Chymici vocant, quorum observatio in omnium corporum naturalium genesi & analysi insignem usum habet, eorum combinatio & immeatio respondet tribus primis corporibus primo creationis die existentibus; Sal Terræ, Mercurius Aquæ, Sulphur Luci, quæ tria corpora hîc non sunt mineralia, sed ob analogiam à Chymicis ita vocata.

VI. *Forma*

VI. *Forma est pars corporis naturalis* per quam est; quæque motum ejus potissimum efficit. Hæc quia est spiritualior materia, ideo & seipsam & materiam & corpus naturale faciliùs efficaciusque movet, non tamen ita movet quin & suo modo moveatur.

Forma est simplex vel *composita* : Illa est quæ planè similaribus partibus constat, nullamque aliam formam sibi adjunctam habet. Hæcque ex partibus vel dissimilaribus constat, vel alias formas sibi conjunctas habet.

Forma complicata est subordinans, cæteris potior: vel subordinata à subordinante mota ac ordinata: Illa verò totalis, hæc partialis. Ex hujus complicationis ignorantiâ oritur illa crassa formarum ignorantia. Nam quia omnes fingunt eas esse ἄτμον quid, eas nec resolvere, nec nominare possunt: debebant autem & poterant omnes materiales ex suâ compositione explicari.

VII *Vinculum materiæ & formæ* est vapor, seu Spiritus mediæ consistentiæ inter ipsas quem forma movendo materiam movet. à Paulo 1 Thess. 5. v. 23. ut anima in homine.

VIII. Sic fuerunt principia corporis Naturalis, sequuntur attributa, quæ ex propriis fluunt, adeoque & ipsis & inter se sunt proportionalia.

Attributa sunt Affectiones & Operationes: Illæ sunt facultates; hæ facultatum exercitia & actus.

Affe-

Affectiones sunt communes quæ ab omnibus principiis pariter fluunt, ut Tempus, Temporalitas: vel minùs communes quæ magis ab uno quam ab aliis principiis fluere videntur.

Tempus est corporis naturalis duratio. Estque internum, ipsemet corporis naturalis status, motusque: vel externum, interni temporis cum illustriori quodam motu comparati commensuratio ac denominatio.

In omnibus corporibus naturalibus, ipsorumque attributis est observanda certa temporis periodus, certique synchronismi.

IX. *Affectiones minus communes* sunt materiales, Quantitas, unde numerus, figura, & locabilitas: vel Mediæ, Situs: vel formales, Qualitas.

Quantitas est affectio corporis naturalis quæ habet partem extra partem.

1. Probabiliùs quantitatem solâ ratione distingui à materia tanquam modum essentialem.

2. Ejus natura consistit in partium distinctione & extensione, vel potius divisibiliitate & extensibilitate: Illa est quâ pars una non est altera: hæc quâ non est ibi, ubi est altera.

3. Quantitas igitur per se est divisibilis in infinitum, licèt natura ipsius non sit in infinitum divisiva.

4. Sunt enim certi naturæ poli, ultra quos natura nec expanditur, nec contrahitur, quos si

ſi attigerit natura revertitur ad terminum contrarium, vel quorum ſi attigerit unum, revertitur ad alterum: Itaque mundus nec in infinitum poteſt extendi, nec in nimis parvum ſpatium contrahi.

5. Ratione potentiæ ejuſdem portionis materiæ, eadem eſt extenſibilitas: ſed ratione actus non ſemper eadem extenſio: ſic idem argentum vivum nunc unam nunc aliquot urnas occupat.

6. In quolibet rerum genere eſt maximum & minimum.

X. Numerus eſt quantitatis nota.

Magnitudo eſt quantitas cujus partes ſunt unitæ.

Numerus eſt quantitas cujus partes ſunt disjunctæ ſeu non unitæ.

1. Numerorum per ſe vis nulla eſt, ſed connotant efficacem rerum habitudinem: ſeu non numeri numerantis, ſed numerati magna eſt vis.

2. Itaque diligenter in naturâ attendendi, eorumque fontes inquirendi.

3. Idque non ſolùm in genere, v. g. cur non poſſit eſſe tantum auri, quantum ferri: ſed & in ſpecie, cur homo habet decem digitos, non octo, non ſeptem, &c.

4. Unde patet quanta ſit Arithmeticæ & Geometriæ in Phyſicâ utilitas ac neceſſitas.

XI. *Figura* eſt terminorum quantitatis habi-

habitudo ; seu extremitatis modificatio.

Figurarum magna in naturâ vis est, verùm non solùm externarum sed & internarum partium figuræ sunt observandæ.

Ab his autem pleræque qualitates & operationes naturales proficiscuntur.

1. Ratione figuræ corpora naturalia possunt dividi in completa, quæ sui complementum adeoque efficaciam habent; & incompleta, quæ non nisi aliorum beneficio subsistere, agereque possunt.

2. Illud autem complementum non tam in passivâ receptione, adeoque duritie, quam in acutissimâ vi consistit, seu activitate, ut in scintillis lucis, ignis, veneni, odoris, &c. ubi minima particula majoris efficaciæ est quam magna moles.

3. Atque hinc potest deduci Astrologia, nimirum radios luminarium esse perfectissimè completos, figuratos, ac motivissimos, nec ab aliis humoribus, nisi forsan cœlestibus figurabiles.

XII. *Locabilitas* seu locatio est modus existendi divisibilis, ita ut totum corpus sit in toto, pars corporis in parte spatii proportionali.

Spatium est ipsa corporis quantitas per modum mensuræ à nobis concepta.

Occupare spatium est corpus ita existere in loco ut aliud secum non ferat.

Penetratio corporum est adæquata duorum plurium-

pluriumve corporum in eodem loco existentia; estque impossibilis:

Impossibile quoque est ut corpus sit vel ἄτοπον, vel πολύτοπον, alioquin corpus esset à se disjunctum.

Sic se habet corporis locus internus.

Externus est respectus corporis inclusi (adeoque non maximi) ad includens. Hic omni corpori præterquam superficiei connexæ aquarum supra cœlos competit, sique corpori congruat dicitur naturalis.

Appetit autem quodvis corpus suum locum naturalem.

A loco interno oritur continuitas, quæ est terminorum corporis unitas seu identitas: Ab externo contiguitas, quæ est eorundem unio seu coexistentia.

Omnia corpora appetunt ac amant contiguitatem, fugiunt vacuitatem: unde hæc naturaliter non datur: hinc fuga vacui est multorum miraculorum & Apotelesmatum Physicorum fons.

XIII. Affectio corporis naturalis media est Situs.

Situs est partium tum inter se, tum cum aliis corporibus collatarum localis habitudo. Unde potest dividi in Intrinsecum, quo partium inter se, vel extrinsecum quo earundem cum aliis corporibus existentia confertur.

Hic accuratissimè notandum Situm & Situatio-

tuationem corporum esse omnis Physicæ virtutis, ac operationis, convenientiæ ac differentiæ primam, unicamque radicem Physicam, adeoque omnis solidæ Physicæ clavem; Nimirum. Qualis & quanta est Situatio, talis & tanta est operatio. hinc homini Logico & Mathematico in primâ naturæ fundatione, nonnisi duobus principiis est opus, *passivo* & *corporeo*, globo aquæ primigeniæ planè homogeneo: & *activo* ac spirituali, Spiritus Sancti incubatione.

In naturæ autem continuatione, opus est continuationis principiorum in primo hexæmero positorum, adeoque immediatâ animarum rationalium creatione.

Situs extrinseci differentiæ seu positiones sunt sex: Sursum, decorsum : prorsum, retrorsum : dextrorsum, sinistrorsum, qui circulus diligentissimè est applicandus cuilibet corpori & operi Physico.

XIV. Restat formalis affectio corporis naturalis, Qualitas.

Qualitas dicitur *abstractè* vel *concretè* : priori modo est accidens, nihilque aliud quam corporis naturalis modificatio & graduatio : Posteriori modo est substantia, nihilque aliud quam species & imagines supra definitæ : Atque hoc posteriori modo dicitur plerumque ab Authoribus antiquissimis, tam prophanis, ut Orpheo, Hypocrate, Platone, quam Sacris, Mosi & Prophetis. Qualitas

Qualitas corporis naturalis est ejus ad motum inclinatio seu aptitudo.

Ea oritur ex situatione corporum naturalium, ideoque in eam resolvenda; habet autem sphæram sibi & corpori naturali proportionalem.

Estque 1. *Simplex* vel *combinata*. Combinationis modi sunt innumeri. 2. prima vel non prima, non primarum dantur scalæ ordinatissimæ quidem, sed plurimis gradibus, iisque combinatis constantes: possunt autem & debent omnes combinationes resolvi in simplices; non primæ in primas.

3. Est *activa*, motivitas, vel *passiva*, mobilitas, una tamen eademque pro diverso respectu, potest esse activa & passiva, activo-passiva, & contra. 4. Est absoluta vel relata, illa competit corpori naturali per se spectato; hæc collato cum alio; sic Magnes: Estque *Sympathia* vel *Antipathia*.

Sympathia est corporum appetitus ex congruentiâ ortus.

Antipathia est corporum fuga ex incongruentiâ orta: Utraque est Generica, Specifica, vel Individualis; sic quidam homines abhorrent à vino, caseo, &c.

5. Est Manifesta vel Occulta; Illa est cujus primæ causæ jam cognoscuntur, hæc cujus ignorantur.

Ubi Nota.

1. Ad-

1. Admodum improbabile est ejusmodi qualitates corporeas occurrere quæ homini in hâc votâ prorsus sint impervestigabiles, cùm spiritualia imò divina percipiat.

2. Vulgaris itaque opinio de qualitatibus occultis quæ planè non possint cognosci, nititur tum negligentiâ, tum arrogantiâ, quâ quidam suâ scientiâ metiuntur omnium scientiam.

3. Sed & possunt & debent qualitates occultæ reduci ad manifestas.

4. Id fieri potest, 1. Catholicâ Inductione, seu corporum collatione: & 2, accuratâ eorundem in vera principia resolutione seu anatome.

5. Magia naturalis spectat qualitates naturales, iisque utitur, in quâ cavendus est defectus, stupida ignavia: & excessus, Anilis vanitas. Itaque in Judicio duo cavenda, 1. ne prorsus falsitatis ac impietatis damnemus, quæ superant nostram experientiam: 2. Nec protinus ea admittamus aut admiremur quæ ab hominibus variis jactantur.

XV. Sic fuerunt corporis naturalis affectiones; sequitur Operatio, quę est motus Physicus.

Motus generalissimè sumptus est diversificatio quædam: Estque Metaphysicus, Pneumaticus, Theologicus, & sic deinceps per cæteras disciplinas: Nos hîc agimus de motu Physico seu corporeo.

Motus

Motus Physicus est mutatio ubi vel situs corporei, adeoque nihil aliud quam motus localis. *Ubi nota.*

1. Omnem operationem Physicam esse motum localem, ne quidem animæ rationalis actionibus Physicis ac organicis exceptis.

Non enim in Physicis agitur de operationibus animæ pneumaticis, hyperphysicis ac inorganicis.

2. Omnem motum esse viam ac tendentiam quandam, adeoque necessario constare tribus terminis, *à quo, per quem, & ad quem.*

3. Motus non differt realiter ab adæquato suo termino ad quem, cùm sit ipsemet in fieri.

4. In quolibet motu considerandum esse movens, mobile, motusque modum ac medium, ex quorum variâ proportione variatur motus, præcipuè tamen specificatur à termino ad quem.

5. Movens & mobile Physicum differunt non solùm formaliter, sed & realiter, si non ut quod, saltem ut quo; si non genere Physico, saltem genere metaphysico & morali, hoc est potest quidem corpus aliquod seipsum movere, sed tamen una pars est movens, altera mota; & pars movens vel movetur à superiori movente Physico, vel saltem à Metaphysico, verbi gratia, primâ causâ: aut morali, putà observantis. Atque hinc patet omnes

nes motus Physicos tandem esse resolvendos in motorem specialiter primum, Deum.

6. Motus activus & passivus non differunt re, sed solâ definitione, secus daretur progressus in infinitum: motus quippe non est in agente, sed ab agente.

7. Unio & communio moventis & mobilis fit per contactum supra explicatum.

8. Quies est omnimoda ejusdem ubi, situs recontinuatio, eâ ratione termini à quo est privatio: ad quem est perfectio. Hinc omne corpus naturale quod naturaliter movetur, propter propriam suam perfectionem movetur; quamvis eo ipso se & aliis corporibus communicet, & universo inserviat. Bonum enim publicum seu totius, non repugnat bono privato seu partium. Unde eousque ignorabitur fons motus cœlestium, donec in ipsorum perfectionem resolvatur.

9. Cùm omnis operatio Physica sit motus; omne autem corpus naturale indesinenter operetur, utique universa corporea natura erit in continuo motu.

XVI. Motus Physicus consideratur absolutè vel relatè, respectu sui effectus & consequentium: Priori modo dicitur motus localis, per excellentiam: soletque dividi communiter,

1. Ratione originis quod sit naturalis, vel non naturalis, qui vulgò dicitur violentus. Ille

Ille est qui potissimùm in mobilis natura, hic potissimùm qui in moventis virtute fundatur: Itaque nonnisi comparatè dicitur violentus; cùm omnis violentus tandem sit resolvendus in naturalem.

2. Ratione partium est simplex vel compositus: ille est ejusdem generis, modi, gradusve; hic diversorum: estque bicompositus, tricompositus, &c. quæ scala diligentissè est annotanda: simplex est rectus, à centro, ascensus; ad centrum, descensus: vel circularis circa centrum.

3. Ratione proportionis & collationis cum alio, qui sibi par & similis est: vel difformis, impar, & dissimilis, vel uniformiter difformis, pariter impar, & similiter dissimilis; quæ discordia concors oritur ex proportionali motus conjugatorum mixtione. Conjugata illa vide supra, quæ proportio est Arithmetica, Geometrica, vel harmonica Musica.)

4. Motus est congregativus unionis: vel segregativus disunionis.

XVII. Motus relatè considerates, habet pro termino qualitatem, quantitatem; vel substantiam seu essentiam.

Cùmque motus sit diversificatio, unius termini dissentanei acquisitio est alterius amissio, & vicissim.

Ratione qualitatis dicitur alteratio, quâ nova ad motum aptitudo acquiritur; hæc totuplex est, quotuplices sunt qualitates. Ra-

Ratione quantitatis eſt quâ nova quantitas acquiritur, eſtque accretio, materiæ eodem affluxus & confluxus: vel diminutio, materiæ defluxus; illâ major, hâc minor acquiritur quantitas.

Ratione ſubſtantiæ eſt generatio, vel corruptio.

Generatio eſt tam ordinata motuum (ſubordinatio) combinatio, ut formæ cum ſuâ materiâ unione novum corpus exiſtat. Huc pertinet conſervatio principalium eſſentialiumque motuum continuatio & perfectio, ſeu maturatio eorundem congrua gradatio.

Generatio eſt æquivoca vel univoca: illâ eſt quâ generans & generatum ſunt diverſæ; hæc quâ ejuſdem ſpeciei. Omnis graduatio æquivoca tandem reſolvenda eſt in univocam.

Corruptio eſt tam confuſa & incongrua motuum combinatio, ut formæ à ſuâ materiâ ſeparatione, prius corpus eſſe defluat. In hâc ſi forma ſit immaterialis, porrò manet ac ſubſiſtit: ſi materialis, ipſamet quoque in ſuum chaos, ſeu principium reſolvitur.

Atque hæc eſt Phyſiologia Generalis, quæ ſpeciali judicioſè eſt applicanda: unde oritur fœlix & fructuoſum examen Phyſicum.

APHORISMORUM PHYSICORUM,

SECTIO III.

De Corporibus Inchoatis.

I. SIc fuit Physiologia Generalis; Sequitur Specialis, quæ corporum naturalium species, seu differentias explicat.

Differentiæ corporum naturalium sunt *Communiores* vel *Specialiores*.

Communiores sunt quæ inter se conjungi & combinari possunt.

Specialiores sunt quæ tanquam opposita inter se combinari nequeunt, fluuntque ex communioribus: utrarumque differentiarum perpendenda Origo & Usus.

De *Origine* sic habendum; omnes differentiæ Physicæ oriuntur ex combinationibus terminorum Metaphysicorum, adeoque communiores divisiones entis corporibus applicatæ suggerunt divisiones Physicas.

Sicut itaque omnia attributa Metaphysica sunt Entis, Modi, & Gradus: sic quoque omnes differentiæ Physicæ sunt certæ aquæ primigeniæ modificationes & graduationes.

Præ-

Præterea ut omnia attributa Metaphysica radicaliter revocantur ad Unitatem, Veritatem & Bonitatem, seu potentiam, sapientiam & amorem; ita & Physica ad hos tres fontes, & primi quidem ordinis ad materiam, secundi ad vinculum, tertii ad formam referuntur.

Item, ut mirifica & ineffabilis est attributorum Metaphysicorum, ita & differentiarum Physicarum immediatio, quæ se modificant & graduant.

Denique sicut Metaphysica attributa plerumque suam denominationem sumunt à respectu ad Ens primum (sicut Veritas dicitur respectu intellectus; Bonitas respectu appetitus) ita attributa Physica plerumque denominantur à respectu ad corpus dignitate primum, puta hominem: hinc qualitates Physicæ plerumque distribuuntur ratione sensuum.

Magnum est operæ pretium eas in se quoque, & inter se investigare.

Usus harum differentiarum consistit in Analysi & Genesi Physicâ.

Analysis Physica est quâ differentiæ specialiores in communiores, hæ in Metaphysicas ita resolvuntur, ut mens humana eas combinationes in clarissimo naturæ lumine fundatas cernat. Omnes quippe Physicæ affectiones fluunt ex affectionibus Metaphysicis, adeoque in axiomata Metaphysica resolvi possunt.

Genſis Phyſica eſt quâ continuâ ac ordinatâ prædictarum differentiarum complicatione corporum naturalium ſpecies invenimus. Hęc in Mechanicis, ut facillima eſt, ita utiliſſima: in Phyſicis longè difficilior forſan & in hoc corrupto ſtatu impoſſibilis, quamvis primariæ rerum naturalium ſpecies, humanæ menti ſint impreſſæ. Unde ſpecierum naturalium inventiones experięntiæ potius quam rationis diſcurſui debentur.

II. Communiorum differentiarum claſſes conſtituimus duas: Prima eſt illarum quæ generalium terminorum combinatione reſultant immediatiùs, nimirum.

1. *Ratione Conſtitutionis*: Primo. Corpus eſt Nativum, quod à ſola naturâ, vel factivum, quod ab arte quoque producitur: Sęcundo. Eſt Analogum ſeu ordinarium, vel Anomalum extraordinarium, quod congruum, vel incongruum, hoc dicitur portentum & monſtruum, idque deficiens, excedens, perverſum. Tertio. Totale vel partiale: Quarto. Primarium aliorum fons & fundamentum vel ſecundarium alterius additamentum: Quinto. Simplicius vel compoſitus, & hoc ſimilare vel diſſimilare.

2. *Ratione Temporis*: Primo. præſens, præteritum & futurum: Secundo. Antiquum vel novum, & hoc recens natura, vel renovatum: datur enim naturalis multorum corporum renova-

renovatio ac instauratio: Tertio. Durabilius, vel minùs durabile.

3. *Ratione quantitatis:* Magnum vel parvum: Ratione Numeri: Primo. Copiosum seu frequens, & rarum seu infrequens: Secundo. Monadicum seu solitarium naturaliter immultiplicabile, ut Sol: vel plurale & multiplicabile: Tertio. Numeri imparis vel paris, sic partes plantarum, animalium, &c.

4. *Ratione Figuræ* est: 1. Determinatum, certæ, vel indeterminatum incertæ figuræ: 2. Est Symmetrum proportionalis; Assymmetrum improportionalis figuræ: 3. Figuræ simplicis, obliquæ, vel rectæ, vel compositæ ex obliquis & rectis; hic tabula Geometrica percurrenda est.

5. *Ratione loci:* Universale quod ubique, vel pluribus in locis reperitur, ut bos, vel particulare, quod tantùm certis in loci, ut Rhinoceros.

6. *Ratione Situs:* 1. Superius vel inferius; 2. Exterius vel interius, seu continens & contentum: 3. Sejunctum vel conjunctum, & hoc continuum vel contiguum.

7. *Ratione Status:* 1. Congruè vel incongruè se habens: 2. Crescens, perseverans, decrescens: 3. Mobile vel immobile: 4. Maturum seu concoctum, cujus partes sunt æquabiliter digestæ: vel immaturum ac crudum, cujus partes sunt inæquabiliter digestæ ac distributæ,

 Hæc

Hæc divisio eſt generaliter ſumenda, ſic ſunt, vapores, fumi, flammæ, metalla, plantæ, partes animalium maturæ vel crudæ.

III. Altera differentiarum claſſis eſt quæ ex præcedentium decompoſitione ſive reduplicatione reſultant, præcipuè hæ ſunt quæ plerumque ſunt conſiderandæ. 1. Abſolutè vel comparatè: 2. Quatenus ſunt tales potentiâ, vel actu potentiâ ſcilicet activâ vel paſſivâ.

1. *Denſitas*, materiæ in parvo ſpatio copia: Raritas materiæ in majori ſpatio inopia & paucitas; cujus ſpecies eſt poroſitas; intervallorum multitudo & magnitudo.

2. *Craſſities* & *tenuitas*: illa partium magnitudo; hæc parvitas.

3. *Stabilitas* & *fluiditas* ſeu *liquiditas*: illa eſt firmior partium unio; hæc eſt partium ſeparabilitas.

Stabilitatis ſpecies eſt durities, major, & mollities, minor ſtabilitas, unde illa eſt figuræ ſuæ ſervantior, hæc minùs ſervans.

Fluiditatis ſpecies eſt Aquoſitas, partium minus implicitarum, Oleaginoſitas, magis implicitarum, Viſcoſitas, æquabilis tardiorque ſeparabilitas.

4. *Tenſilitas* & *fragilitas*: illa eſt ſitus partium integritate ſalva mutabilitas, hæc immutabilitas.

Tenſilis ſpecies eſt *flexile* quod in obliquum; *Tractile* quod in longum; *Ductile* quod in longum

gum & latum: & *Malleabile* quod in longum, latum & profundum, seu in omnes dimensiones est sensile.

Fragilis species sunt, inflexile in obliquum, scissile secundùm latum, fissile secundùm longum: & ruptibile, secundum omnes dimensiones fragile.

Friabile est in minimas siccasque partes fragile.

5. *Lævitas* & *asperitas*: illa est superficiei æquabilitas, hæc inæquabilitas.

6. *Acuties* & *hebetudo*: illa est partium longitudinis extremarum tenuitas; hæc crassities.

7. *Calor* & *frigus*: ille est vis se explicandi & expandendi; hoc est vis se complicandi & condensandi non est pura caloris privatio, sed positiva qualitas.

8. *Gravitas* & *levitas*: hæc est ascendendi seu versus circumferentiam tendendi: illa descendendi; versus centrum tendendi vis.

9. *Humiditas* vel *siccitas*: illa est quâ corpus corpori facilè unitur, & adhæret: hæc contra: illa est quædam corporea communicabilitas, hæc quædam incommunicabilitas.

Hic observa à linguâ sanctâ omnium accuratissimè has Physicas differentias exprimi.

IV. Certa qualitatum recensitarum habitudo & proportio dicitur Temperies vel Temperamentum.

V. Specialis corporum naturalium est quod sint imperfecta seu inchoata: vel perfecta seu consummata: illa dicuntur exhalationes, hæc corpora & exhalationibus concreta.

Exhalatio est corpus naturale ex tenuissimis partibus ita compositum, ut facili condensatione, vel resolutione, alia ex eo componi, vel in id resolvi queant: de eâ notentur sequentia.

1. Exhalatio est quasi medium quid, & participium inter aquam primigeniam; materiam, scilicet primam; & corpora concreta, putà sydera, terram, &c.

2. Exhalationes sunt fontes omnium corporum naturalium, adeoque omnium affectionum & motuum: hinc omnes secundæ materiæ, formæ corporeæ & vincula ex iis oriuntur, omnesque motus syderum, aeris, aquæ, & terræ in illas resolvuntur.

3. Exhalationes constant partibus fermè insensibilibus. Natura enim incipit à minimis particulis, quas Veteres dixere atomos. Sunt autem insensiles vel omnibus sensibus humanis, vel saltem quibusdam: item aliquando brutis quibusdam sensiles, licet hominibus insensiles. Ita exhalatio, fœtor seu odor est sensilis cani sagaci, licet insensilis sit homini.

4. Exhalatio est vapor, fumus vel mixtum quid. Vapor est exhalatio humida, adeoque generalior & prior. Fumus est exhalatio sicca, adeoque

adeoque ex vapore orta. Mixtum quid eſt vapor fumoſus, vel fumus vaporoſus, quæ mixtio eſt frequentiſſima.

5. Exhalatio eſt cruda vel pinguis: illa eſt quę habet partes craſſiores nec ſatis æquabiliter inter ſe unitas: hæc quæ partibus tenuioribus, æquabiliuſque inter ſe unitis conſtat, eſtque inflammabilior.

6. Exhalationes in ſpecie ſunt primæ, vel non primæ. Primæ ſunt ex quibus corpora naturalia in primâ creatione conſtituta fuere. Cùm enim aqua prima ſit omnium corporum materia, illinc cætera oriri non potuerunt niſi per aquarum evaporationes variaſque illarum complicationes: Hinc Gen. 1. verſ. 2. tenebræ ſunt vapores ſe aliaque conſtringentes. Tohu eſt fumus ſe convolvens: Bohu eſt vapor fumoſus ſe condenſans. Confer Gen. 26.

Harum exhalationum fontes ſunt univerſales vel particulares.

Univerſales ſunt tres, Cœlum, Aqua, Terra, Gen. 27. 28. Deut. 33. 12. &c.

Cœlum inquam ſecundum omnes ſui partes, ita ut nullæ ſtellæ, imò ne ſupercœleſtes quidem aquæ excludantur: Ex harum quippe deſtillatione nobiliſſima corpora in univerſo orbe oriuntur.

Aquæ non ſolùm in terræ ſuperficie, ſed potiſſimùm in ejus gremio conſtitutæ, quæ dicuntur Abyſſi in Scripturâ.

Fontes exhalationum speciales sunt, reliqua corpora particularia, imprimis magis vaporosa & fumosa.

Ex variâ & fermè infinitâ harum exhalationum mixtione oritur potissimum universalis corporum sympathia.

VII. Exhalationum non primarum insignes species sunt Meteora.

Meteorum est exhalatio in sublimi aere potissimum generata & agitata.

Dicimus potissimùm in aere; revera enim exhalationes generantur & agitantur in cavernis terræ, mari, omnibusque cœlis, sed illustriora nobis notiora sunt in aere.

Quamvis autem accurato ordine doctrinæ singulæ in suis locis explicari debuissent, maluimus tamen hanc consuetam Methodum sequi, ut eò magis appareret quomodo olim fuerunt corporum perfectiorum principia.

Meteora sunt universæ naturæ comitia; superiorum & inferiorum vincula & participia, omniumque influxuum penuaria, adeoque plurimarum rerum signa, & quidem sunt Analoga vel Anomala; ordinaria vel extraordinaria.

VIII. In specie Meteora. 1. Ratione loci sunt terrestria, marina, aerea vel cœlorum superiorum: 2. Ratione dispositionis sunt aquea vel ignea.

Aquea

Aquea sunt, nebula, nubes, pluvia, grando, nix, ros, pruina, fila beatæ Virginis.

Nebula est exhalatio densior graviorque circa terram serpens.

Nubes est exhalatio rarior leviorque in sublimi aere suspensa: Nubium affectiones sunt meteora apparentia, de quibus infra.

Pluvia est aqua ex densioris nubis concretione orta, guttatim decidens. Hæc aliquando est extraordinaria, idque tum ratione materiæ, ut lapidea, triticea, sanguinea, lanea, carnea: tum ratione quantitatis, ut Echydrias.

Grando est pluvia à majori ac subitaneô frigore conglaciata; aliquando ratione magnitudinis est portentosa, ut, bilibris, trilibris, &c.

Nix est floccorum tenuuissimorum varieq; figuratorum congeries, ex ratioris nubis concretione orta.

Ros est vapor ex tenuissimis cœlestium habitibus in guttas concretus, inque terram destillans. Sic se habet & ros frugifer, qui potissimùm descendit è cœlo, utque videtur ex aquis supercœlestibus: Cujus species sunt mel, & manna, meteora.

Ros noxius est vapor ex venenatis superiorum ac inferiorum habitibus concretus, dicitur & Latinè Rubigo.

Pruina est vapor ex crudioribus inferiorum halitibus in salsuginem quandam congelatus.

Fila beatæ Virginis (à Tromondo dicta) est vapor inter rorem & pruinam medius, temperato frigore majorique viscositate in fila in aere volitantia ac plerumque inter stipulas pendentia concretus.

IX. Meteora ignea sunt pinguiores fumosioresque à calore accensæ exhalationes : Ad caloris accendentis ortum & augmentum plurimum facit Antiperistasis. Suntque infimæ, mediæ vel supremæ aeris regionis. Infimæ quæ ob materiæ pondus ac defectum altiùs ascendere nequeunt, suntque *Ignis Fatuus*, *Castor* & *Pollux*, *Helena* & *Ignis Lambens*.

Ignis Fatuus est meliorum ex crassioribus, pinguioribusque terrestrium fumis genitum, à condensatione accensum, varieque agitatum.

Castor & Pollux est Ignis Fatuus duplex aquosior.

Helena est Ignis Fatuus aqueus, solitarius, tempestatis nuntius; indicat enim flatuum copiam, eorumque insufficientem dissipationem.

Ignis Lambens est meteorum ex oleosis animalium spiritibus accensis ortum. Hoc etsi rarius, multa tamen naturæ secreta aperit, imprimis illustrat doctrinam de naturalibus spectris.

Meteora mediæ regionis sunt *Draco volans*, *Stella cadens*, *Fulmen*.

Draco

Draco volans eſt meteorum ex diſſimilari fumo genitum, ac ob partium in medio, craſſiorum in extremitate ſubtiliorum diverſitatem, diverſis motibus agitatum, tandemque pondere ſuo obliquè ex medio aere in in inferiorem delapſum, tortuoſi ſerpentis figuram imitans.

Stella cadens eſt meteorum ex fumo ſubtiliori aquabiliorique genitum, vi frigoris, ſuique ponderis, obliquè detruſum.

Fulmen eſt meteorum ex copioſis diverſi generis exhalationibus conflatum, violenterq; tum ob mutuam repugnantiam, tum ob ſubitaneam expanſionem expulſum. Ejus materia eſt ſpiritus inflammabilis ſeu ſulphur; Spiritus minimè inflammabilis ſeu Mercurius, & vapor inter quem hæc duo adverſiſſima junguntur.

Urgens & movens eſt calor & frigus ſe circundantia; Modus planè reſpondet Sclopetorum & Tormentorum exploſioni.

Uſus ejus eſt maximus per univerſam naturam, verſ. 29, nec dubium quin in Cœli, ſtellarum, ac terræ productione frequentiſſima fuerint fulmina.

Tonitru eſt ſonus ex violentâ ac ſubitaneâ nubis diſruptione ortus.

Coruſcatio eſt lux ex ſpiritus ſulphurei inflammatione orta.

Fulmen eſt terebrans, diſcutiens vel urens.

Illud

Illud constat partibus subtilioribus, istud crassioribus; hoc mediis & magis inflammabilibus. In fulmine discutiente sæpe reperitur lapis seu telum fulmineum, nunc in aere, nunc in terrâ firmissimè concretum.

Meteora supremæ regionis sunt fumi leviores in summo aere accensi: Hi variantur ratione figuræ, situs & motus. Suntque vel Cometæ elementares. Faces possunt comprehendi sequente Tabellâ.

Cometæ elementares sunt fumi copiosiores in aere accensi; varieque figurati. Hi sunt rariores: Nam celebriores illi sunt stellæ extraordinariæ, de quibus infra.

Meteororum igneorum naturam insigniter illustrat Ars Pyrothechnica. Venti in doctrinâ de Cœlo aereo: Æstus marinus in doctrinâ de mari: & terræmotus in doctrinâ de terrâ rectiùs explicabuntur.

SECTIO

- **Fax**
  - Côtinua
    - Æquabiliter
      - Tenuior, ſagitta volans.
      - Craſſior
        - Perpendicularis columna:
        - Par altera ſeu tranſverſa trabs.
    - Inæquabiliter partibus
      - Superioribus, tenuior fax ſtrictè dicta.
      - Inferioribus latior, Pyramis.
  - Diſcreta quoad
    - Rem partium
      - Minorum rotundiorumque, ſcintillæ volantes.
      - Majorum, longiorque, ſtipulæ ardentes.
    - Viſum, Capræ ſaltantes interjectæ partes ſubitò conſummuntur.

SECTIO IV.

De Cœlo & Cœleſtibus Corporibas.

I. HActenus de Corporibus Inchoatis, exhalationibus ſequuntur conſummata.

Corpora conſummata vocamus quæ ex exhalationibus accuratiùs junctis concreta, conſtantiorem naturam habent.

Illa generatim Majora ſunt, vel Minora.

Majora ſunt integra corporum collegia, ut Cœlum, Mare, Terra. Minora ſunt majorum contenta & fructus.

Speciatim corpus conſummatum eſt lucidum, vel non lucidum, hic notandum. 1. Omnia omnino corpora eſſe lucis capacia, nimirum, vel potentiâ lucida ſunt, illuminabilia; vel actu lucentia & illuminantia. 2. Lucem reſpectu oculorum dici viſibilitatem, ſeu qualitatem viſibilem. Qualitas viſibilis nihil eſt aliud quam vis lucis, quâ ſpiritus viſorios movere poteſt. 3. Lucem & ignem non re modo differre.

II. Lux eſt perfectiſſimus vapor.

Quia lux eſt univerſæ naturæ corporeæ clavis, & ſpirituale quaſi confinium & horizon,

quam

quam diligentissimè ipsius natura est inquirenda, id fiet si resolvamus definitionem propositam perpendamusque lucis constitutionem ac operationem.

Constitutio patet ex sequentibus.

Lux est vapor adeoque verum corpus & substantiæ, nempe & luminare, & ipsa inhærens lux, & ipsum effusum, rebusque infusum lumen substantia est.

Partes luminis, quia vapor est sunt tenuissimæ adeoque in minimas particulas resolutissimæ: unde minima partis lux potest esse suppositum, id est, essentiam, existentiam, efficaciam & efficientiam suam servare, imò propagare potest. Deinde eædem partes sunt pinguissimæ seu oleosissimæ. Pingues partes dicimus quæ ita sunt concoctæ ac digestæ, ut sint maximè similares, maximamque inter se uniorem ac communionem exerceant; quia se aliis quoque rebus maximè se communicare queant.

Ex partium tenuitate ac oleositate oritur admirabilis particularium parvitas & multiplicabilitas, quâ minima scintillula in plurimas sibi sufficientes dividi potest. Summatim autem in luce sunt tres partes, non tam essentiâ quam subsistendi modo, graduque distinctæ.

Prima est corpus lucens quotius est oleosum seu pingue; omnis enim pinguedo in totâ naturâ existens est propinquâ potentiâ lux seu ignis. Secunda

Secunda pars est corpus illud oleosum se explicans, seu expandens: Nam vi suæ activitatis necessariò seipsum perpetuò agitat, adeoque majorem sui sphæram affectat, vi oleositatis vero sibi cohæret, manentque partes unitæ.

Tertia pars est corpus illud oleosum quatenus se suo fonti reunit. Quoniam enim motivissimus vapor est, in sphæram, quoad fieri potest se movet: Deinde quia est vapor similarissimus, mutuâ sympathiâ ad fontes sui originales præsertim redire satagit, qui recursus est flatulentus seu spirituosus, omnisque extrinsecæ efficaciæ, quam lumen vulgò dicunt, fons.

Ob mirabilem hanc lucis generationem & propagationem, Deus in Scriptura, dicitur lux. Joh, 1, vers. 5.

Hinc lucis partes omnes sunt globosæ.

Sphærica figura est aptissima & commodissima tum ordinatissimæ distributioni, seu communicationi, tum arctissimæ & intimæ unioni.

Locum lux certum ac definitum habet nullum, ubique enim est, subsistere & operari potest, pro diversâ tamen partium temperaturâ magis gaudet uno, quam altero loco.

Situs lucis respondet loco; communiter enim ad omnes positiones, differentias se diffundit, pro diverso tamen statu sursum magis tendet quàm deorsum. Hic

Hic obſervanda eſt admirabilis lucis continuitas & contiguitas; quà luces diverſiſſimæ eodem perſpicui puncto unitæ diſtinctiſſimè eſſentiam, ſubſiſtentiam efficientiamque ſuam retinent. Id patet ad oculum quando plures luces, verbi gratia, candelæ, ſimul junctæ plures ejuſdem opaci umbras pariunt,

Qualitatis luces variæ ex ſuperiori Tabula peti poſſunt, excellit illi quaſi infinita vis quæ omnium corporearum efficacitatum & efficientiarum origo eſt.

Lucis proles & ſpecies eſt color.

Color eſt certa lucis in opacam incidentis modificatio & graduatio: nihil enim aliud ſunt colores quam ſubtiliſſimæ corporum coloratorum acccenſiones.

Hæc hac vice ſufficiant de lucis conſtitutione: ſequitur ejus operatio quà eſt mobiliſſima & motiviſſima.

Mobiliſſima eſt lux, quia omnes & ſingulæ ejus partes continuo motu ſe explicant & diſtendunt, ſicque ſeipſam movet: in hoc perenni motu conſiſtit lucis quaſi vita. Movet autem ſeipſum, verbi gratia, quoad totum, & dicitur *Latio*, ſeu motus localis; vel, partes ſuas, diciturque Radiatio.

Radiatio eſt motio lucis, quà particulas ſuas continuo rectoque ductu ejaculatur; hæc radiatio fit in tempore ſed minimo, in inſtanti non Metaphyſico, ſed Phyſico, id eſt, nobis ita apparente. Patet

Patet cum omne lumen sit corpus, corpus autem simul in pluribus locis esse nequeat, manifestum est alio instanti lucem Solis esse in æthere, alio in aere, alio in terra esse.

Radiatio est simplex, directa, vel multiplex, eaque reflexa, vel refracta.

Motivissima est lux, quia omnis omnino corporum naturalium motus à lucis ac luminarium motu oritur, conservatur, ac gubernatur. Unde sapientissimè lux tanquam universi mundi corporei Architecta à Deo primâ die condita fuit.

Ad lucis generationem requiritur congrua partium dispositio, seu unio & communio, earumque excitatio & agitatio, quæ dicitur ascensio & inflammatio.

Hæc nihil aliud est quam motus impulsu, seu impetu facta communicatio.

Unde pulchrè & subtilissimè dicit Hungarica lingua ignem obdormivisse.

Cùm lux quævis perpetuò particulas suas effundat, diffundatque omni modo ejus conservatio, requirit continuam partium instaurationem, adeoque pabulum.

Pabulum lucis sunt optimè digesti, ipsique maximè consentanei vapores; nimirum ex quibus lux generata est, ex iisdem conservatur.

Quoniam lucis natura in proportionali partium dispositione ac conjunctione consistit;

ftit; duplex eft ipfius corruptio feu interitus, nempe nimia partium vel compreffio, vel diffufio & diffipatio.

III. Atque hæc breviter de luce generatim: in fpecie lucida corpora funt ftata vel vaga.

Stata voco quæ in certo loco perpetuò verfantur.

Vaga quæ in variis locis oriuntur & manent, ut ignis focalis, corpora lucida ftata funt ftellæ vel ignis fubterraneus.

Ignis Peripateticorum Sublunaris eft purum putum & quidem futile & anile, nullius prorfus in natura ufus figmentum.

IV. Stellæ funt luminaria in æthere collocata, omnis in natura convenientiæ, differentiæ, virtutis & efficientiæ fontes, *Gen.* I. verf. 14. Earum breviter videbimus Conftitutionem & Operationem.

Conftitutio cognofcitur ex ipfarum productione & confervatione.

Productio eft earum ex luce primigeniâ in globos collecta conformatio: fic ftellæ quoad materiam funt conditæ primò, quoad perfectam, & fitum quarto die.

Confervatio eft earum ex proportionalibus vaporibus aliunde affluentibus reftauratio. Hæc de confervatione ftellarum fententia, ut eft antiquiffima ita & veriffima, & fine ulla ratione omnium primò ab Ariftotele impugnata, ut fictitiam fuam mundi æternitatem tueri poffet.

Illorum

Illorum vaporum fontes videntur esse triplices, nimirum globus terræ & aquæ, aquæ supercœlestes & mutui stellarum radii.

Conservationis necessitatem evincit continua stellarum radiatio, quæ cùm sit corporea lucis effusio, aut pedetentim extinguerentur omnes stellæ (cui repugnat experientia) aut repararentur. Confer Deut. 33. 13.

Operatio stellarum cognoscitur ex earum situ & motu.

Quod stellæ in sublimi hæreant atque à se invicem discretæ sint, causa videtur esse earum pondus, id est, certa ad corpora circundata habitudo & propensio, non secus ac varia globorum ligneorum genera varie in eadem aquâ natant.

Motus stellarum est in liquidissimo æthere liberrimus, perpetuus ac ordinatissimus. Ejus causa non solùm datur prima, Creatoris voluntas, sed & secunda ac naturalis, eaque non extrinseca seu assistens, fictitiæ Peripateticorum intelligentiæ; sed intrinseca, nempe nutrimenti desiderium; prout enim vapores ex quibus stellæ conservantur, moventur, ita & stellæ; non secus ac flamma artificialis seipsam sursumdeorsum, antrorsum retrorsum, recta in gyrum reprocedit prout Elychnium se habet; sic Sol consumptis versus meridiem vaporibus, movetur versus septentrionem, & vicissim, & quia versus polos sphæræ sectio

minor

minor eſt ac ſufficientes vapores ſuppeditare nequit, Planetæ ſe continent intra tropicos.

Quæ de Orbibus Cœleſtibus docentur, ea Aſtronomicè intellecta utilia, Phyſicè futilia ſunt.

Efficacia & efficientia ſtellarum univerſa conſiſtit in lumine earum pro vario earum ſitu ac motu variè modificata ac graduata.

Nec ipſarum influxus aliud quid eſt quam luminis vis. Quæ à quibuſdam Philoſophis de ſtellarum quiete & terræ motu aſſeruntur, ea nec Sripturæ, nec naturæ ſunt conſentanea.

V. In ſpecie ſtellæ ſunt Analogæ vel Anomalæ, irregulares.

Analogæ ſunt quarum conſtitutio & operatio ſunt ordinariæ, adeoque materia, quantitas, ſitus, figura, motus, &c: hæ ſunt illæ quæ quarto creationis die conditæ ab eo tempore obſervatæ fuerunt.

Suntque Planetæ vel ſtellæ fixæ.

Planetæ ſunt ſtellæ quæ non ſimplici circulo, ſed per lineas ſpirales intra tropicos moventur; qui motus, ut eò accuratiùs circulo exprimi queat, fingitur eſſe duplex, communis & ſpecialis, ſeu ab ortu verſus occaſum, & ab uno tropico verſus alterum.

Planetæ ordinarii ſunt ſeptem, *Saturnus, Juppiter, Mars, Sol*, (omnium parens, conſervator & Rex) *Venus, Mercurius* & *Luna*.

Stellæ fixæ ſunt quæ ſupra Planetas collocatæ

catæ perfecto ac simplici circulo moventur ab ortu in occasum, hæ sunt in Zodiaco, vel extra Zodiacum.

In Zodiaco sunt duodecim signa.

Sunt *Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,*
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper,
Amphora, Pisces.

Quæ extra Zodiacum sunt illæ, sunt Septentrionales, vel Austrinæ, harum ut & Planetarum accurata recensio petatur ab Authoribus.

Galaxia, via lactea, est plurimarum stellarum densa congeries fermè per Cœli medium sparsa. Hæc non ineptè à Poëtis vocatur *Cœli porta*, quia ejus cognitio, cœlorum, stellarum, cœlestiumque motum naturam aperit.

VII. Stellæ anomalæ sunt stellæ post conditum mundum natæ vel observatæ, sunt Planetæ vel stellæ fixæ.

Planetæ anomali sunt visibiles, vel invisibiles.

Visibiles sunt Cometæ ætherei.

Cometæ ætherei sunt Planetæ in Cœlo ex vaporibus geniti, figura, motu, aliisque qualitatibus irregulares, qui tandem disparent aut resolvuntur. Cometas præsertim tales qualis fuit 1618. non esse fumos sub sphæra Lunæ accensos, evidens docent ipsarum quantitas, duratio, situs, motus, aliaque: Nam cùm parallaxis, tum ipsorum Orientis & Occiden-

tis

tis respectus evincit illos etiam ipso sole esse altiores.

Planetæ invisibiles sunt illa sidera, quæ non nisi tubo optico circa Solem, Saturnum, Jovem observari possunt, qualia sunt sydera Medicea, Borboniæ, à Galilæo aliisque Philosophis deprehensa.

Stellæ fixæ anomalæ sunt stellæ novæ inter stellas fixas apparentes.: Talis est stella nova Cygno seu Vulture apparens: Vide Astronomos.

Hactenus de stellis, sequitur ignis subterraneus.

VIII. Ignis subterraneus est ignis in prima creatione centro terræ inditus, tum ut eam formaret, montes protrudendo; tum ut eam conservaret; tum denique ut omnium terrâ nascentium generationem promoveret. Hunc ignem non solùm docet mineralium, Thermarum productio, sed imprimis ignivomi cratires in Sicilia, Islandia, Perusaponia, aliisque Provinciis. Atque hæc sufficiant de corporibus concretis lucidis, sequuntur non lucida, scilicet, actu non lucida; omnia quippe corpora naturalia sunt inflammabilia, adeoque lucis capacia, 2. Pet. 3 10.

IX. Corpora non lucida sunt perspicua, vel opaca.

Perspicua sunt corpora radiis lucis pervia, Græcè vocantur Διαφανῆ, suntque magis vel minùs perspicua. 1 Magis

Magis perſpicuum eſt Cœlum.

Cœlum eſt corpus magnitudine, figura ac puritate perfectiſſimum ex aquis maxime rarefactis expanſum, ut aquas ſuperiores ab inferioribus diſcernat, ſtellas, omniumque ſuperiorum ac inferiorum influxus recipiat.

Cœlum quidem eſt Nobiliſſimum non ſecundùm totum, ſed ſecundùm partes, non à ſe, ſed à luce; eſt enim liquidiſſimum & in minimas particulas facile diviſibile.

Cœlum juxta naturam & Scripturam eſt triplex, aer, æther & Cœlum ſupremum; non eſſentia ſed gradibus diverſa.

Aer eſt Cœlum inter Lunam & terram, aquas inferiores expanſum, & meteororum receptaculum.

Æther eſt Cœlum inter aerem & Cœlum ſupremum expanſum, ſtellarumque receptaculum.

Cœlum ſupremum eſt Cœlum inter æthera & aquas ſupercœleſtes expanſum: Beatorum ſpirituum domicilium; & hic quidem eſt Cœli ſupremi uſus præcipuus, plurimos tamen eoſque nobiliſſimos habet uſus Phyſicos, verbi gratia, quod ſupercœleſtium aquarum aſcenſum & deſcenſum promoveat, quod ſtellarum conſervationi, ſitui, motui, &c: inſerviat, quod præcipuas vires inferioribus cœlis communicet.

In doctrina de Cœlo imprimis notandum S. Scri-

S.Scripturam longè exactiùs illud distribuere, magisque rectè rationi & experientiæ consentaneè quam ullus Philosophorum, præsertim Aristoteles.

X. Cœli aerei seu infimi considerandus motus & aspectus: ibi occurrunt venti, hic meteora apparentia.

Ventus est concitatior aeris cursus.

Is consideratur in genere, vel in specie.

In genere quoad originem, affectiones & usum.

Venti origo est, vel simplex aeris impulsio, vel vaporum immissio.

Simplex aeris impulsio est, cùm aer subita vel expansione, vel condensatione citra alicujus corporis additionem movetur.

Hujus impulsionis tres potissimùm sunt fontes: motus aeris naturalis, ejus expansio facta ab astris imprimis Sole, subita aeris à frigore aut à corporibus compressio.

Immissio vaporum est quando ex vaporibus affluentibus novus creatur aer, ita ut ob supercrisationem se continere nequeat, sed necessariò majus spatium quærat: hujus præcipua causa sunt aquarum, terrarumque, evaporationes.

Accessoriæ & adjuvantes sunt expiratio è subterraneis, dejectio ex media aeris regione, quo & nubium dissipatio, denique exhalationis imitatio, ab ipsius mobilitate & acrimonia profecta.

Affectiones ventorum sunt eorum quantitas, longitudo, latitudo & altitudo, qualitas, eaque absoluta, vis calefaciendi, refrigerandi, exsiccandi, sub quibus variæ vires speciales comprehenduntur, vel respectiva sympathia & antipathia ventorum.

Deinde qualitas ventorum est insita, vel ascitiva, ratione locorum per quæ transeunt: congrua, vel incongrua.

Ventorum usus Physicus (unde pendet Mechanicus, Medicus & Politicus) est ratione aeris illum variè afficere, nempe perficere, vel inficere; variaque meteora in illo efficere: ratione maris, illud agitare & purgare: & terræ, plantas & animantia in ea degentia juvare & impedire.

In specie venti sunt procellosi, vel non procellosi.

Non procellosi sunt generales vel speciales.

Generales qui semper flant, qualis est ventus totius Orbis, aura spirans ab Oriente versus Occidentem: hic intra tropicos est vehementior ac manifestiùs deprehenditur.

Speciales sunt liberi qui indifferenter, assefclæ qui frequentiùs; & stati qui certis temporibus flant.

Venti stati in nostris Regionibus (variāt enim pro climatibus) sunt Etesiæ, qui Æstivo 40 diebus ab Aquilone, Chelidonii qui in vere 30. ab Occidente, ac Hyberni qui brumali tempore 40. diebus ab Austro flant. Geo-

Geographicè non procelloſi venti commodiſſimè dividuntur in 32, quorum quatuor ſunt Cardinales; Eurus ſeu Subſolanus ab Ortu; Auſter ſeu Notus à Meridie; Zephyrus ſeu Favonius ab Occidente, & Boreas à Septentrione flat.

Quatuor ſemicardinales, Euro-Auſter; Zephiro-Auſter; Zephyro-Boreas; Euro-Boreas.

Cęteri his interjecti, quorum tres priores denominantur à termino, à quo ut Eurus ad Auſtrum 1; 2, 3; tres poſteriores à termino ad quem, ut Auſter ab Euro, ut 1, 2, 3; ubi duo medii dicuntur majores.

Sequitur Ventus procelloſus, qui eſt violentus aeris impetus; eſtque Cenephias, Typho, Preſter. Illa eſt procella ex craſſiori viquę dejectâ materiâ: iſte ex copioſiri atque in ſeipſum retortâ: hic eſt turbo ex inflammatâ materiâ conflatus. Quod Latinis eſt Turbo, Græcis eſt Typho.

X. Hactenus de vento, ſequuntur Meteora apparentia. Meteora apparentia ſunt certi lucis in aere aeriſque aſpectus, vocantur ἐμφάσεις quæ opponuntur τοῖς ὑποστάσει: itemque dicuntur φάσματα.

De iis in genere notetur,

1. Cùm hæc meteororum natura conſiſtat in certâ apparentiâ, perpendenda erit

natura & ſtatus, adeoque modus & gradus luminum apparentium, rerum in quibus apparent, & ſpectantium quibus apparent.

2. Itaque horum omnium diſpoſitiones indicant; unde varia graviaque oriuntur prognoſtica.

3. Apparitio fit per radiationem quæ ſemper fit per lineas rectas, verùm vel ſimplices vel compoſitas; ibi eſt apparitio directa, hîc reflexa & refracta.

4. Ex variâ harum radiationum modificatione & gruduatione, varia oritur apparentia.

Speciatim meteora apparentia ſunt informia vel formata.

Informia ſunt quæ ob luminis vel recipientis indiſpoſitionem nonniſi lucem coloremque referunt: hîc excellit crepuſculum, quod eſt lux ſolus 18.circiter gradibus ab horizonte diſtantis ab opaciori aere reflexa: eſtque matutinum orituri, vel reſpertinum occidentis ſolis.

Meteora apparentia formata ſunt quæ figuram etiam repræſentant, nimirum vel illuminati, vel illuminantis corporis; eaque ſunt figuræ incertæ vel certæ.

Incertæ ſunt Χάσματα & Φάσματα.

Χάσμα eſt repræſentatio hiatus ab interiorum partium obſcuritate exteriorum tenuitate, ac luciditate orta. Φάσμα

Φάσμα est meteorum ex variâ luminarium radiorum reflectentium dispositione varias figuras repræsentans, ut montes, plantas, animantia, aliasque res visibiles. Hæc plerumque sunt portentosa.

Meteora apparentia certæ figuræ exprimunt imperfectius, minus integram: vel perfectiùs integram figuram.

Imperfectiùs Halo & Iris.

Halo est corona in nube roscidâ ob luminis reflexionem & refractionem orta; estque Solaris, Lunaris, alteriusve majoris luminaris.

Iris est circuli segmentum ex lucis in nube roridâ refractione reflexioneq; ortũ, puniceum, viridemque purpureumque colorem præcipué præ se ferens; estque solaris vel lunaris, hæc rarior priorisque æmula.

De utrâque, imprimis priore sic habendum.

1. In Iride centrum luminaris, nubis & visus fermè in eâdem sunt lineâ.

2. Ejus diameter tanta est, quanta videntis à nube distantia, & plerumque 750 passuum.

3. Quò iris à luminari magis distat, eò major est.

4. Iris semper est opposita luminari, ita-

que necesse est ut luminare non distet ab horizonte ultra 45 partes.

5. Iridis colores oriuntur ex variâ lucis refractione, reflexione, variaque ejus cum umbris mistione; secundarii colores innumeri sunt, inter primarios non raro apparet flavus.

6. Iridis motus nonnisi apparens est, motuique luminaris contrarius.

7. Iris est primitiva vel derivativa, hæc aliquando multiplex.

8. Iris suam in natura habet efficaciam, præsertim in vaporibus odoribusque temperandis.

Luminaris figuram perfectiùs repræsentant parelius & paraselene: Ille solis; hæc lunæ est imago: utraque aliquando multiplicatur non sine omine.

XI. Corpus non lucidum minùs perspicuum est Mare.

Mare est universale aquarum receptaculum, seu Maria sunt ordinatissima omnium sub cœlo aquarum congregatio.

Hujus congregationis videndus est modus & usus seu effectus. Modum explicat Moses, Gen. 1. v. 9. David Ps. 104, 5, & Salom. Prov. 8. v. 22. Job. 38. v. 8, &c.

Hunc modum ipsa ratio & experientia confirmat, cùm enim aqua sit levior terrâ, uti-

utique absolutè eam considerando erit supra terram, ergo aliquando undique texi terram; at jam non undique tegit; necesse est igitur ut elevata fuerit terra (unde montes & valles) disrupta (unde variæ cavitates & meatus) denique proportionaliter illi terræ figurationi aqua fuerit collecta.

Illa autem terræ protuberatio & disruptio non potuit fieri sine terræ, maris, quin & nubium maximo motu, ad quam requirebatur ignis expandens, spiritus & materia expansionis capax, denique modus proportionalis. unde maris constitutio, positio & figuratio plurima in natura indicat.

Adhæc illa aquarum cum terrâ æstuans commotio mare salsum reddidit, non secus ac in lixivio fieri consuevit.

Usus Maris exserit se in ipsius motu & fluctu.

Motus maris est quo ipsum juxta corpora subjecta, circumjecta, & superimposita (seu cœlestia) ordinatè & harmonicè movetur.

Is motus potissimum duplex est, progressus ab oriente versus Occidentem, & Æstus ipsius.

Progressus iste fundatur in universali naturæ motu producto.

Æſtus eſt ejus in pleriſque partibus ad littora fluxus & refluxus.

Ejus cauſa proxima eſt vaporum ſeu halituum ex fundo maris elevatio: Elevationis hujus cauſa propinquior eſt ignis ſubterranei reſpiratio; remotior ſolis & lunæ motus; hæc enim aſtra ut & terræ (fundi imprimis & littorum conſtitutio) variè hunc æſtum marinum modificant & graduant.

Breviter abyſſus maris interior, Gen. 7. v. 11. Deut. 33. v. 13. agitatur ab igne ſubterraneo; hujus exhalationes agitant abyſſum exteriorem.

Fervet autem mare quam maxime, 1. in plenilunio & Novilunio. 2. In æquinoctiis & Solſtitiis, 3. Sub æquinoctiali.

Obſervatio univerſalis harmoniæ mundi, æſtuſque cum reſpiratione animantis collatio, obſcurum hoc myſterium plurimùm illuſtrabit.

Fluctus maris ſunt propinquiores vel remotiores, ſeu immediati vel mediati.

Generales terminos ſpecialibus applica.

ΣΚΙΑΓΡΑΦΙΑ
ANALYSEOS.

I. ANalysis est accuratum de textu seu dissertatione in sua principia resoluto judicium.

Totuplex fit Analysis quotuplex in textu adhibita fuit genesis, idque ordine retrogrado. Analysis autem utpote praxis frugalem compendiorum ac tabularum cognitionem præsupponit.

II. Estque simplex vel combinata illa quæ totum resolvit.

III. Analysis simplex est quæ consistit in præcognitione & recognitione. Quintuplex est Analysis Logica, thematica, topica, axiomatica, syllogistica & methodica. In singulis authorum dictis hæ quinque sunt instituendæ, suntque vel nudæ in Analogis, vel cum rectificatione in anomalis textibus.

IV. Præ-

IV. Præcognitio est Analysis thematica quâ thema investigatur ac dijudicatur: utrumque fit notarum thematicarum observatione, ac textus collatione.

V. Analysis thematica absolvitur reductione & deductione: ubi nota, primò, reductio & deductio se mutuò notificant: itaque dubia reductio invenitur per deductionem, & dubia deductio per reductionem. 2. Quò reductio & deductio est distinctior, eò Analysis est accuratior, quare utraque fiat, non tantum per summa rerum genera, sed etiam per proximos gradus modosque, quoad fieri potest.

VI. Reductio thematica est quæ textum ad tabulas seu classes suas revocando, ejus differentiam observat: hæc est triplex.

Pragmatica ad tabulam modorum differendi.

Systematica ad tabulam disciplinarum: & prædicamentalis ad prædicamenta, cujus radix est tabula Catholica seu Metaphysica: quare exacta harum tabularum memoria requiritur; in prædicamentis sufficiet hâc vice tabula substantiarum, nam juxta eam facilè ordinantur tabulæ accidentium. In reductione prædicamentali hâc sufficiet reductio thematis: agitur enim hîc non de singularum vocum, sed de totius textus reductione.

VII. Deductio thematica est quæ textus congruentiam distinctè observat; tum singula

per

per se proponendo, tum singula inter se conferendo.

VIII. Congruentia illa est personarum, circumstantiarum, ipsiusque dissertationis.

IX Congruentia personarum est respectus facultatum, status, ac gestus: est autem persona triplex. A quâ (prima) ad quam (secunda) de qua (tertia) differitur. In dissertationibus reflexis sæpiùs una sustinet vicem duarum: hîc igitur percurratur tabula symbiotica personarum, & personalium attributorum, itemque tabula propria disciplinæ, ad quam pertinet thema,

X. Congruentia circonstantiarum est loci, ubi percurrenda topographia, seu tabula locorum & temporis, ubi Chronologia seu tabula temporum.

XI. Congruentia ipsiusmet dissertationis, est communis, scil. ejus necessitas, utilitas, facilitas (quæ complectitur intelligibilitatem ac præstabilitatem) & jucunditas (fructus congruentissimus vel specialis)

XII. Congruentia dissertationis specialis est interna vel externa: Interna est triplex, 1. Respectu scopi qui maximè observandus. 2. Respectu subjectæ materiæ, 3. Respectu singularum partium.

XIII. Externa est prima, respectu contextus antecedentium, scilicet connexorum: & consequentium eorum propinquiorum & remo-

remotiorum: vel ſecunda, reſpectu aliorum textuum, tanquam partium ejuſdem libri. Sic omnes textus ſcripturæ ſunt partes ejuſdem thematis Biblici.

XIV. Ità ſe habet præcognitio textus, cujus beneficio ſimplex planuſque textus ſenſus ſeu ſumma poteſt præcognoſci: ſequitur recognitio, qua univerſi textus anatome inſtituitur, partiumque ſymmetria obſervatur. Ea jam ad certa inſtrumenta logica deſcendit, adeoque eſt critica vel heuretica, illa eſt ſyllogiſtica vel axiomatica.

XV. Analyſis ſyllogiſtica eſt accuratum de ſyllogiſmo in ſua principia reſoluto judicium: hæc adhibenda eſt, ſi in textu ſit integer ſyllogiſmus vel aliqua pars.

XVI. Ea conſiſtit in ſyllogiſmi rectificatione, & rectificati diſtinctione. Rectificatio eſt Analyſeos ſyllogiſticæ præparatio, abſolviturque ſyllogiſmi obſervatione, & anomali ad Analogum reductione. Syllogiſmi facile obſervantur obſervatis eorum notis, quæ ſunt explicitæ conjunctiones ratiocinativæ: vide in hoc libro ſuperius parallelismum conjunctionum: vel implicitæ, quæ ex partium ſe mutuò inferentium collatione deprehenditur.

XVII. Reductio ſyllogiſmi Anomali ad Analogum inſtituitur, ſi defectus ſuppleatur, exceſſus reſecetur, partes perturbatis diſponantur. 1. Om-

1. Omnium primò quæratur conclusio tanquam centrum.

2. Deest major si prædicatum quæstionis, minor si subjectum tantùm semel occurrat.

Ubi accuratè distinguenda Ellipsis Logica ab Ellipsi Grammatica.

3. Excessus syllogisticus, est axiomaticus vel syllogisticus: Axiomaticus est cum propositionum syllogisticarum partes explicantur vel amplificantur. Syllogisticus est cùm confirmantur, vel ex ipsis alia, qua immediata conclusio deducitur.

XVIII. Rectificati syllogismi distinctio, est ejus ad certam speciem reductio, quæ absolvitur collatione textus cum tabula syllogistica.

XIX. Analysis axiomatica est accuratum de propositione in sua principia resolutâ judicium, ea consistit in propositionis rectificatione, & rectificatæ distinctione.

XX. Rectificatio propositionis, est Analyseos axiomaticæ præparatio, quâ Anomalia reducitur ad Analogiam: 1, Prima combinatio fit ultra rectificationem; despiciatur an Anomalia sit generalior an specialior, ibi in redundante amplificationes seu partes minus principales resecentur, reservatis essentialibus sive fundamentalibus: in deficiente necessaria addantur: in inversâ ordine partes collocentur: vide parallelismum.

Si anomalia ſit ſpecialior, eſt permutatio vel combinatio.

Permutatio eſt pathetica, ubi applicetur tabula pragmatica, itemque tabula figurarum Rhetoricarum, ac dextrè adhibeantur verba deliberativa, poteſt, vult, debet, ſolet, ac diſtinguantur inter proloquium & eloquium; vel Tropica, ubi applicetur tabula Troporum.

2. Combinatio eſt limitans vel removens, ubi obſervanda propoſitio exponenda & exponens quæ ſunt Analogica: hic recurrunt limitantes, excluſivæ, exceptivæ.

Hæc rectificatio exprimat ſenſum propoſitionis, planum, proprium, omni mode regularem, ubi attendenda quintuplex amplificatio deſcriptio, antitheſis, comparatio, globatio, congeries teſtimoniorum.

XXI. Rectificatæ propoſitionis diſtinctio eſt ejus ad certam ſpeciem reductio, quæ abſolvitur collatione textus cum tabulâ axiomaticâ. Tabula hæc eſt: propoſitio generatim eſt affirmata vel negata: vera vel falſa, neceſſaria vel contingens, eaque generalis vel ſpecialis, vel ſingularis: pura vel modalis, vel compoſita, eaque congregativa, copulativa, quò pertinet diſtributiva integri, proleptica, relativa quantitatis, qualitatis, loci, temporis: Explicativa vel connexiva; quò relativæ conſequentiæ: vel ſegregativa, quæ disjuncta, quæ ad-

versativa, vel discretiva, vide parall. de conjunctionibus axiomaticis.

XXII. Analysis heuretica; hic est topica, nam de themate supra dictum, ut m..x in Topicis dicemus,

Analysis Topica est accuratum de terminorum reductorum habitudine Logicâ judicium, scil. qualia sunt argumenta seu termini simplices, ejus regula est.

Notiones primas primò sigillatim consideres, tum inter se conferas, & collatarum affectiones per tabulam argumentorum deducas, deductisque convenientes definitiones applices.

Primò igitur instituenda est reductio singularum vocum, eaque accuratissima: eaque prædicamentalis, systematica, & pragmatica. In prædicamentali descendatur ad primos gradus.

Reductio autem systematica sit duplex, specialis ad disciplinam propriam: Generalis ad Grammaticam, ubi habeatur tabula divisionum grammaticarum: Et Metaphysica ubi habeatur tabula divisionum metaphysicarum. Divisiones Grammaticæ hæ sunt: vocem sume Categorematicè, vel syncategorematicè, singulariter vel pluraliter, vel participaliter, substantivè vel adjectivè: propriè vel appellativè: positivè vel comparativè, paranomyeè, vel possessivè: activè passivè vel neutraliter;

ter; perſonaliter vel imperſonaliter, indicativè, imperativè, conjunctivè.

Diviſiones Metaphyſicæ hæ ſunt, verè & ex hypotheſi vel ex opinione: abſolutè vel comparatè: formaliter vel non formaliter, ſcilicet cauſaliter, objectivè, poſſeſſivè, privativè.

In omni reductione conſiderandum an vox ſit ambigua, num accipiatur propriè vel impropriè; propriè vel ratione originis, vel ratione uſus. Univerſa autem reductio abſolvitur diligenti per tabulas deductione. Eodem verò modo reducendæ ac deducendæ ſunt phraſes, quo ſingulæ voces. Deinde inſtituenda eſt vocum, phraſiumque deductarum collatio, ubi nota primò, omnes propoſitiones affirmativas enuntiare argumenta conſentanea, negatas diſſentanea, utraque artificialia, vel inartificialia prima vel orta, abſoluta vel comparata.

2. In Analyſi primò eſſe obſervanda inartificialia, orta, comparata, tum reliqua.

Tandem vocibus ſic reductis applicanda vocabula topica, ſeu terminorum ſimplicium, ubi obſervanda immeatio argumentorum, præſertim in ſacris literis, vide parallelifmum.

Hàc recognitione abſolutâ proponatur ſenſus textus proprius, planus ac ſimpliciſſimus juxta regulam auream: Is ſenſus eſt genuinus qui ſuperioribus omnibus eſt congruentiſſimus.

XXIII. Sic

XXIII. Sic se habet Analysis simplex: Analysis combinata est quæ addit aliquam genesin.

Geneses possunt esse variæ: nos hac vice urgebimus solùm duas, nim. partitionem textus, & usuum deductionem.

Partitio textûs, est per partes congruentissima expressio: Ea facilè invenitur, si præter superiora applicentur, 1. Conjugata, ivum, ivi, tas, ivè, ivile, ivilitas, iviliter, ans, ater, atum, atè, atio, cæteraque substantiva, adjectiva, adverbia. 2. Quæstiones utrum quid, de quo, quare, quantum, quale, quomodo, quando, ubi, & cum quo, affirmative & negativè, simpliciter & combinatè.

XXIV. Usuum deductio est qua ex textu congruentissima consectaria educuntur, ejus regula est: Textum tum integrum, tum per partes deduc per tabulas supra dictas; inprimis homogenea themata: & per generales.

XXV. Usus est Theoreticus, vel Energeticus.

Theoreticus est Didacticus vel Elencticus: Didacticus quo disciplinarum theoremata confirmantur, ejus regula est.

Percurre universæ encyclopædiæ theoremata, iisque affirmativè applica textum.

XXVI. Elencticus est quo omnes errores refutantur, reg.

Percurre errores in Encyclopædia occurrentes, iisque negativè applica textum, hîc excellit refutatio falsæ interpretationis. reg.

Interpretatio quæ non observat omnimodam congruentiam vel est falsa, vel saltem non genuina.

XXVII. Usus Energeticus est practicus vel poëticus: practicus est pædeuticus, vel Epanortheticus: pædeuticus, quo studium virtutis percurratur, reg.

Percurre virtutes omnes, iisque affirmatè applica textum.

Epanortheticus est quo vitiorum fuga procuratur, reg. Percurrre tabulam vitiorum, iisque negativè applica textum.

XXVIII. Usus poëticus qui respicit executionem, is vel præscribit media, vel removet impedimenta. Regula.

Percurre tabulas rei agendæ, mediisque affirmativè, impedimentis negativè applica textum.

De omnibus vocabulis reducendis ad certas disciplinas.

Regulæ.

1. Unum idemque vocabulum sæpe numero pertinet ad plures disciplinas, prout modus considerandi variat.

2. No-

2. Nomina instrumentorum scientificorum seu notionum secundarum, pertinent ad Grammaticam, Rhetoricam, Logicam vel, Astronomiam.

3. Vox quæ notat notionem primam omnibus vel pluribus disciplinis communem, est Metaphysica: & huc pertinent principia, modi & differentiæ entis, itemque prædicamenta.

4. Metæ disciplinarum cognoscuntur ex ipsarum fine qui est cognitio veri, & actio boni, unde duo summa disciplinarum genera, quod nempe sunt theoreticæ vel practicæ.

5. Unus idemque terminus pro diverso respectu ad utrumque istum finem ducit; ità ut particula specificativa (quatenus) adhibeatur per particulam (quatenus) internâ vel externâ consideratione.

6. Brevissimæ disciplinarum definitiones sunt certissimæ Cynosuræ reductionis terminorum.

7. Sex septemve præcipui tituli cujusq; disciplinę observentur ante oculos, ita ut ad illos tanquam principes reliqui omnes referantur.

8. Principia & conclusiones pertinent ad primum præcognitum omnium disciplinarum, quæ appellatur Archelogia, pertinet inquam eo ratione judicii.

9. Nomina ista, intelligentia, scientia, prudentia, ars, opinio, dubitatio, error, pertinent ad secundum pręcognitum, quod appellatur hexiologia.

10. Ipsa

10. Ipsa nomina disciplinarum præcognoscuntur in Technologia, ut, sutoria, Philosophia civilis, moralis.

11. Vocabula finem medium, & impedimenta studii alicujus significantia pertinent ad Dialecticam.

12. Ad Grammaticam, Rhethoricam, Logicam pertinent termini notionum secundarum ratione explicationis: sed ratione usus omnes termini cùm primarum tum secundarum notionum indifferenter pertinent ad suas tres artes, tanquam quoddam Trissellium.

13. Metaphysicæ considerationes sunt transcendentales & prædicamentales. Transcendentalis nota certa est vagari per omnia prædicamenta.

14. Physica est theatrum naturæ, unde huc pertinent principia, affectiones, partes & species omnium creaturarum corporearum, una cum hominis anima.

15. Ad Pneumaticam pertinet quidquid de spiritu lumine naturæ pervideri potest.

16. Arithmetica sibi vendicat numerum numerantem, & numeratum, & utriusque affectiones.

17. Ad Geometriam pertinent, punctum, linea, superficies & corpus, illorumque dimensiones.

18. Ad Astronomiam pertinent quæ quantitatem cœli, stellarum, temporis, itemque influentiarum notant. 19. Geo-

19. Geographia explicat terminos qui dimenſionem terræ & aquæ ſpectant.

20. Ad Muſicam referuntur termini ſoni artificialis.

21. Ad Opticam pertinent, lux, calor, radius, & omnia viſibilia quæ ſunt talia per ſe vel per accidens.

22. Ad Ethicam pertinent virtutes, vitia.

23. Termini Oeconomici ſunt perſonæ, res, actiones, ad familiam pertinentes.

24. Politica ſibi vendicat perſonas, res civiles, actiones ad Rempublicam pertinentes: idem de ſcholaſtica judicium eſt.

25. Ad Hiſtoriam referuntur res geſtæ ſecundum tria diſciplinarum genera.

26. Ad Theologiam refer capita catechetica, locos communes Theologicos, cum ſuis controverſiis, caſus conſcientiæ, artem concionandi, & politicam Eccleſiaſticam.

27. Ad Juriſprudentiam refer quidquid de jure Moſaico, Romano, Tranſylvanico, &c. occurrit.

28. Medicina vendicat ſibi terminos morborum, remediorum, dietæ, ſanitatis.

Usus quinque instrumentorum Logicorum Syntheticus & Analyticus.

De Thematis Usu.

GEnesis sive synthesis thematica gubernatur his regulis.

1. Thema est oblatum vel quæsitivum thematis.

2. Varietas sive nomenclatura thematis ex universâ Encyclopædiâ debet divinari.

3. Thema est dogmaticum vel affectuosum, alias patheticum.

4. Thema est simplex vel compositum.

5. Utrumque thema cognoscitur ex titulo seu inscriptione, axiomate marginali, & denique ex subjectâ materiâ, & scopo, qui est vel explicare vel probare.

6. Thema simplex aut est terminus unus, aut terminus combinatus, aut quæstio quælibet præter, an, num, utrum; nam hæ tres quæstiones sunt axiomata composita.

7. Thema simplex consideratur in axiomate, & semper debet revocari ad subjectum.

8. Thema compositum alias demonstratur in syllogismo, & non differt à conclusione ejus, An & Ergo.

9. The-

9. Thema utrumque tum simplex tum compositum tradatur in methodo, ubi videndum est quænam sit principalis propositio, ea distinguenda à minus principali, idque juxta regulam præcedentem quintam nimirum.

De usu Argumenti.

I. Argumentum debet arguere suum thema, & illud explicare, probare vel amplificare, pro existentia subjectæ materiæ.

II. Inventio triplicis illius facultatis argumenti dependet ab applicatione notionum secundarum Logicarum ad primas, juxta hos canones.

1. Circonstantię in hâc applicatione utramque faciunt paginam, nam de tempore ad tempus, de loco ad locum, à persona ad personam, & aliis id genus circonstantiis non valet argumentum juxta regulam, A separatis argumentum nullum est.

Orta loca inventionis debent applicari & revocari ad circonstantias istas, quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

2. Quot sunt loci communes in aliquâ disciplinâ & facultate, tot sunt etiam loca inventionis.

3. Loca inventionis Logica, non possunt solidum usum nobis præstare, nisi per notas lexicas, practicas vel Rhetoricas.

4. Argumenta Logica se invicem immeando illustrant, & dum se immeant, consimilem immeationem in nominibus primis monstrant.

5. In argumentis logicis semper debemus observare terminos reales Theologicos, Medicos, Juridicos, Philosophicos, Mechanicos.

6. Termini argumentorum Logicorum admittunt consensionem & dissensionem simplicem, comparatam, primam, ortam, artificialem, inartificialem.

7. Quælibet notio prima (excepto solo Deo) potest sustinere omnes fermè titulos argumentorum Logicorum.

8. Arhumenta Logica nuncia recti, nominativorum in obliquo casu (in primis genitivo) usurpata, omnem entis & mentis ascensum & descensum repręsentant.

9. Quod attinet ad ens, argumenta Logica conferuntur cum transcendentalibus: quod attinet ad mentem, illa ipsa argumenta conferuntur cum prædicamentis, & ita se habet genesis argumentorum.

Analysis eorundem perficitur duabus regulis.

1. IN quocunque textu resolvendo oportet inspicere quæ vocabula has vel illas voces argu-

argumentorum Logicorum exprimant, ita nempe ut constructio argumentorum bene observetur.

2. Argumenta Logica in textu eruuntur facillimè, si affectio, subjectio & prædicatio primò revocentur ad disciplinam propriam.

Praxis Axiomatica.

Genesis propositionum tribus continetur regulis.

1. QUodlibet vocabulum categorematicum cum quolibet conjungi potest, secundum illas novem quæstiones, quæ, qualis, quanta; quæstionem (quæ) resolvunt omnia verba & voces, conjunctiones copulativæ, & connexivæ, & disjunctivæ: Quæstionem (qualis) resolvit consensio & dissensio argumentorum: Quæstionem (quanta) resolvunt genus, species, individuum:

2. Multiplicatio propositionum non solùm pendet à tribus præcedentibus quęstionibus, sed etiam quęstionum illarum applicatione ad loca inventionis: Nam unum idemque vocabulum significans cum altero collatum habet affectionem causę effecti, subjecti.

3. Oportet omne axioma judicari, secundùm illam regulam, quod sit principium vel principiatum: principium debet judicari se-

cundum tres leges, de omni, per se, reciprocè: Conclusio debet judicari deductione axiomaticâ, quâ fit ut unum axioma quod est principium ex se pariat infinitas conclusiones.

Analysis Axiomatica duos habet Canones.

1. AXiomata seorsim posita habent facilem analysim, si thema & argumentum observentur, an sint ista duo disposita regulariter vel cum aliqua crypsi.

2. In contextu judicium pendet à periodis: Nam vel quot sunt periodi tot sunt axiomata, vel una periodus complectitur duo, tria, quatuor axiomata, quo pertinet regula artis memoriæ.

Memoria periodorum est memoria totius conceptus.

Genesis syllogistica his perficitur regulis.

1. QUot distributiones & regulæ sunt in disciplinis, tot sunt fundamenta syllogismorum.

2. Si quæstio controversa sit affirmanda vel

vel neganda, resolvatur ea in duos partes, subjectum & prædicatum principale, & utrumque habeatur pro themate simplici, & deducatur per loca inventionis præcipua. Ita enim fiet ut magna argumentorum copia nos veluti obruat,

3. Argumenta quæ ex singulis locis inventionis accipiuntur, possunt per varia syllogismorum simplicium genera & compositorum deduci.

4. Dicimus de omni & nullo est fundamentum syllogismorum affirmantium & negantium: quia scilicet antecedens in syllogismo semper est causa consequentis, causa inquam non incomplexa sed complexa.

5. Ex omnibus locis inventionis nectitur consequentia necessaria vel probabilis, affirmando vel negando, exceptis solis diversis.

6. Consequentia necessaria est quæ sustinet examen trium legum axiomaticarum, de quibus supra.

7. In fabrica syllogismorum oportet respicere ad logicam specialem, & videre an velimus argumentari, v.g. à natura Dei, ab officio Dei, à natura bonitatis.

Analysis syllogistica sic instituitur.

1. NOtæ syllogismorum sint in conspectu; notæ inquam præmissarum & conclusionum.

2. Thema principale eruatur ex textu, ità enim fiet ut, argumenta tanquam ad scepum collimantia, ultrò nobis se se offerant.

3. Syllogismus distinguatur à prosyllogismo, qui quidem est majoris vel minoris: eædem autem sunt notæ prosyllogismi quæ & syllogismi.

Praxis Methodica.

Genesis Methodica sic se habet.

1. DIsciplinam Theoreticam dispone methodo synthetica, recensendo subjecta, principia, affectiones & species, itemque partes.

2. In disciplina practica vel poëtica adhibe methodum Analyticam, recensendo finem, subjectum & media, quantum ad species & partes.

3. Partes disciplinarum eadem methodo dispone quâ ipsæ disciplinæ disponuntur.

4. Et itâ quidem adhibenda accurata methodus: sed methodus popularis in concionibus, orationibus, carminibus est arbitraria, nominatim verò excellit methodus quæstionaria.

5. Tot possunt esse methodi quot sunt loca inventionis: verbi gratia, est methodus causarum, effectorum, definitiva, distributiva.

Analysis Methodica sic est instituenda.

1. PArticulæ & phrases ordinem & tractationem indicantes sunt notæ Methodi.

2. Partes seu methodica artium systemata resolvuntur in distributiones, regulas, & corollaria.

3. Epistolæ, Dialogi, Orationes, Conciones resolvuntur in quatuor partes necessarias, uti sunt, exordium, propositio, tractatio, conclusio.

4. Methodus semper repræsentetur tabulâ brevi quæ totum artificium oculis subjiciat.

PARALLELYSMUS ANALYSEOS

GRAMMATICÆ & LOGICÆ.

I. ORdo vocum eſt Analogus (qui rebus ac notionibus immediatè reſpondet) vel Anomalus ſeu Crypticus (qui mediatè.) Ordo autem Analogus eſt menſura Anomali omniſque intelligentiæ clavis.

II. Ordo Anomalus conſiſtit in exceſſu, defectu, vel vocum tranſpoſitione: reducitur autem ad Analogum ſuperflua reſecando, omiſſa ſupplendo, & voces juxta naturalem ſeriem vel regulares ſubſtituendo.

III. Voces cujuſlibet ſententiæ ſunt principales, vel minus principales ſeu amplificantes: fundamentales ſeu principales ſunt Nominativus ſubſtantivi, & verbum perſonale finitum: Hæc duo in Analyſi vel iiſdem ex textu, vel æquipollentibus exprimantur. Nominativus repræſentat thema, verbum principale repræſentat principale argumentum: minùs principales voces repræſentant argumenta amplificantia.

IV. Sententia (axioma) eſt ſimplex vel compoſita: ſimplex uno nominativo, unoque verbo principali conſtat. Compoſita ſeu multiplex quæ multiplici vel nominativo (themate) vel verbo (argumento) vel utroque (themate & argumento) conſtat. In judicio itaque axiomatico ratio habenda eſt vocum principalium non minus principalium.

V. Sententiæ compoſitæ certiſſimæ notæ ſunt conjunctiones enuntiativæ, eæq; expreſſæ vel intellectivæ.

VI. Sententiarum ſeu axiomatum amplificatio & compoſitio poteſt multiplicari in infinitum, ſoletque progredi uſquedum periodus ſit abſoluta. Toties autem repetenda eſt analyſis quoties nova attigitur ſententia, amplificantur autem non ſolùm voces principales, ſed etiam minus principales. In ſingulis vocibus axiomaticis, perpendendum num amplificentur nec ne? Itaque tot ſunt ſententiæ, quot enuntiativæ conjunctiones (axiomaticę) ſi per Ellipſin conjunctionis vel nominativus, vel verbum, vel utraque ſubducatur, ex pręcedenti vel ſequenti ſententia ſunt congruè reſtituenda.

VII. Amplificatio eſt interna quæ verbis ſenſuque cohæret, vel externa, quæ ſenſu dicitur tantum parentheſis, quæ tanquam ſeparatą ſententia reſolvitur.

VIII. Voces amplificantes ſunt communes quibus plures orationis partes amplificari ſolent: vel ſpeciales quibus certæ tantùm voces poſſunt amplificari conjunctionibus, nomen, verbum, & adverbium adverbio, (quod modum gradumve notat:) Quædam autem voces amplificantes ſunt relativæ quæ conſtituunt ſententiam duabus partibus conſtantem, protaſi ſcilicet & apodoſi.

IX. Ordo Grammaticus naturalis exactè reſpondet ordini logico naturali. Itaq; nomen verbo, adjectivum ſubſtantivo, adverbium verbo, ſyntaxis convenientiæ ſyntaxi rectificationis eſt præmittenda: Excipe interrogativa, relativa & negativa, quæ quoad ſenſum ſequuntur, quoad verba præcedunt; Conjunctiones autem poſtpoſitivæ ſequuntur, quoad verba, præcedunt quoad ſenſum.

X. Voces minùs principales ſeu amplificantes, vel præcedunt nominativum vel ſequuntur, hæ ſemper indicant amplificationes argumentoſas: tandiu autem continuanda eſt analyſis, uſquedum ſingulæ voces ordinentur: ſi autem deſint præcedentes, quærendæ ſunt proximæ ſequentes, idque juxta ordinem paulò poſt poſitum.

XI. Voces amplificantes quæ nominativum præcedunt, vel ſunt thematicæ, vel connectentes.

XII. Voces

XII. Voces thematicæ vel indicant dissertationis genus, vel personam ad quam dissetitur.

Genus dissertationis indicant interjectiones & adverbia certa. Quare quærantur 1. Interjectiones, 2. Adverbia vocandi, demonstrandi, optandi, interrogandi, hortandi, & relativa, quæ sunt ordinis, loci, temporis, quantitatis, qualitatis. 3. Vocativus nudus & amplificatus. 4. Conjunctiones primò ratiocinativæ (syllogisticæ) quantitativæ (axiomaticæ) in dissertatione majori conjunctiones methodicæ omnium sunt primæ. Si combinentur ratiocinativæ primò rationales notæ conclusionis, si combinentur enuntiativæ; primò segregativæ, tum si combinentur congregativæ, primò connexivæ, tum copulativæ, si copulativa copulet partes sententiæ non integras sententias: Nam semper vincula methodica syllogisticis, syllogistica axiomaticis præmittenda. Analysis quippe procedit ordine retrogrado à maximis ad minima: Conjunctiones exceptivæ se accommodant reliquis: In combinatione conjunctivum | sæpius occurrit ut alius Grammaticus, alius Logicus sit ordo. 5. Nominativus substantivi, thema, isque nudus vel amplificatus: quomodo autem amplificatur nominativus substantivi, ita & reliqui casus. 1. Amplificatur substantivo ejusdem casus per

per oppositionem qui denotat genus sit propria; metaphoram. 2. Genitivo substantivorum (qui ferè omnia argumenta repræsentant) cujus loco haud rarum est gerundium in di.

3. Adjectivo latè sumpto, quod sub se comprehendit strictè sumptum, pronomen relativum, participium & gerundium. Adjectivum strictè sumptum plerumque notat adjectivum, amplificat adjectivum. Adjectivum comparativum (in tertio) ablativo, quorum alterum impar, vel per quà, quàm, aut æquipollentem conjunctionem. Adjectivum superlativum & partitivum, genitivo plurali (quorum ibi alterum impar, hic distributum denotat) vel per de, e, ex, & inter.

Adjectivum unionis & cognitionis, appetitus & facultatis, vel contra, genitivo objecti, cujus loco est nonnunquam gerundium in di, vel verbum infinitum.

Adjectivum congrui & incongrui, commodi vel incommodi, Dativo objecti.

Adjectivum convenientiæ aut contra, Genitivo vel Dativo subjecti aut comparati.

Decoris, facilitatis, & contra ablativo adjuncti pro quo supinum in u.

Adjectivum copiæ vel inopiæ genitivo vel ablativo adjuncti; Adjectivum quantitatis, mensuræ accusativo adjuncti; pro-

nomen

nomen relativum novam ſententiam attexit.

Participium activum amplificatur accuſativo objecti.

Participium paſſivum amplificatur Dativo, vel propoſitione a, (cauſæ:) ſimiliter gerundia, adjectiva, ans, atum, atio, ivum, ile, ivitas.

Præcedunt autem relativa, interrogativa Grammaticè non Logicè.

Loco nominativi ſunt aliquando aliæ partes orationis, imprimis verbum infinitum, aut oratio infinitiva, itemque gerundium in dum, & ſupinum in um.

Verbum perſonale finitum argumentum vel axiomatis ſimplicis vinculum, idque nudum vel amplificatum, amplificatur autem ſyntaxi convenientiæ vel rectionis; Syntaxi convenientiæ 1. Nominativo ſequente verba ſubſtantiva (genus) Vocativo (adjunctum) item ſtatum vel geſtum (adjunctum) ſignificantia. 2. Adverbium negandi in ſermone præmittitur verbo.

Syntaxis rectionis eſt primaria vel ſecundaria, utraque verbo perſonali finito & infinito eſt communis.

Primaria rectio eſt nominis & verbi.

Verba activa, neutra, deponentia, amplificantur accuſativo objecti.

Verba

Verba deliberativa, consiliaria amplificantur infinitivo objecti, qui amplificatur necessariò præcedente accusativo substantivi, & vocativo casu qui præcessit.

Verba motus ad locum supino in um, (finem) pro quo aliquando infinitivus.

Rectio adeoque amplificatio secundaria est cum propter accusativum, alius casus additur; nimirum 1. Verba quæ amici affectionem animi significant, amplificantur genitivo subjecti: Verba judicalia, genitivo vel ablativo objecti. 2. Verba acquisitionis seu convenientiæ, unionis, & communionis; itemque contra. Dativo subjecti recipientis occupantis seu objecti vel comparati. Sum pro habeo Dativo subjecti, pro adfero, Do, Duco, Verto, Tribuo. Dativo subjecti recipientis, secundo effecti vel generis. Verba passiva Ablativo causæ.

3. Verba vehementer activa amplificantur accusativo objecti personalis aut realis, vel generis & officii, nimirum naturalis vel moralis.

4. Verba copiæ vel inopiæ ablativo objecti respectu verbi (adjuncti) respectu accusativi, itemque pretii, quæ aliquando genitivo causæ impulsivæ vel paritatis.

5. Præpositione eaque expressâ vel intellecta: Expressâ, 1. Casus ablativi, 2. Accusativi. Intellectâ, 1. Communiter, 2. Specialiter.

1. Ab-

1. Ablativo causæ impulsivæ, instrumentalis, materialis, naturalis, & modi, huc gerundium in do.

2. Ablativo è loco (terminum à quo, seu objectum antecedens) vel per locum (medium) genitivo vel ablativo (subjecti recipientis) in loco & ad locum (terminum ad quem seu objectum futurum.)

3. Ablativo qui explicatur quomodo adjunctum temporis, ubi participium passivum indicat antecedentia actionum (connexa.)

4. Accusativo spatii seu mensuræ (adjuncti) nominativus & verbum personale aliquando compensatur, 1. Interjectione casum regente, en, ecce, proh, ah, & hei, heu, Dativum, Accusativum vel Vocativum. Væ Dativum, accusativo ad locum (terminum ad quem seu objectum futurum.) 3. Gerundium in dum necessitatem significat.

Parallelysmus specialior de vocibus invariabilibus.

CAPUT I.

De Adverbiis.

1. VOces invariabiles sunt quæ eandem terminationem retinentes variabilium habi-

habitudinem exprimunt, ut Categorematicæ significantes & principales, ità invariabiles syncategorematicæ consignificantes ac minus principales dicuntur.

2. Frequens est Anomalia in invariabilibus quæ ex variabilium collatione cognoscitur, ac ad Analogiam deducitur, 1. Omnes significant vel convenientiam seu unionem, vel disconvenientiam seu separationem: 2. Reducuntur vel tanquam notiones primæ, scilicet Metaphysicæ & Symbioticæ, vel tanquam notiones secundæ, i. e. Logicæ: 3. Habent vim simplicem & combinatam. 4. Sumuntur propriè ratione originis Physicæ, vel impropriæ Metaphysicæ, quæ usurpatio est frequentissima.

3. Voces invariabiles vel sunt intrinsecæ dissertationis vel extrinsecæ: illa snnt quæ dissertationem modificant, unde pleraque non thematis sed instrumentorum Logicorum sunt notæ.

4. Voces invariabiles intrinsecæ sunt communes & simplices, vel speciales & composite, illæ sunt quæ tum in simplici quam in composita propositione locum inveniunt, seu quæ duarum vocum (adeoque rerum) habitudinem explicant.

5. Adverbium est vox invariabilis quæ variabilis (nominatim verbi) habitudinem immediatè una voce seu sola exprimit. Generalis

neralis divisio est quod sit interrogativa relativa.

6. Adverbia sunt heuretica seu inventionis, vel critica judicii vel dispositionis.

Inventionis suntThematica vel Topica.

Thematica sunt quæ dissertationis genus exprimunt, unde insigniter faciunt ad reductionem thematicum: In his semper latet verbum deliberativum in Analysi disertè & congruè exprimendum.

7. Adverbia thematica sunt generalia, eaq; interrogandi (cupio scire an) vel respondendi, ut hem, ehem, (dico tibi quod) vel specialia, eaque vocandi, ut volo ut venias audiasve. Demonstrandi (patheticè ut tibi dico quod) Optandi, (opto ut) Hortandi (volo ut) prohibendi (nolo ut, volo ne.

8. Adverbia topica sunt quæ locos inventionis exprimunt: Generalis seu immeans ipsorum divisio est, quod sint generalia ad Metaphysicam pertinentia, vel specialia ad speciales disciplinas quæ sunt infinita.

9. In specie sunt quantitatis (gradus) qualitatis (modi) vel circonstantiarum quantitatis & qualitatis. Generaliora sunt simplicia vel composita, & convenientiæ vel disconvenientiæ.

10. Adverbia quantitatis sunt continuæ vel discretæ. Quantitatis continuæ sunt absoluta vel comparata: Absoluta adjunctum gradus

gradus exprimunt, gradum magnum ut sunt intendendi, multum, valdè, parum: minuendi ut parum, minimum, vel mixtum ex quantitate & qualitate, ut sensim, pedetentim (modum agendi.)

11. Adverbia quantitatis continuæ comparata, indicant comparationem Metaphysicam, eamq; congruam satis vel incongruam, minus, non satis (modum adjunctum gradus) vel Logicam eamque convenientiæ (paria) æque ac, tanto, quanto, tam, quam, vel disconvenientiæ (imparia) magis, potiùs.

12. Adverbia quantitatis discretæ sunt absoluta vel comparata: Generalia vel specialia. Generalia (adjuncti) indefinita & quidem augentia, sæpe, rursus, vel diminuentia rarò, vel definita, semel, bis, ter; specialia (Methodum causæ vel subjecti) ostiatim, viciatim, viatim.

Adverbia discretæ quantitatis comparata sunt talia vel simpliciter, eaque vel convenientiæ (paria) toties quoties: vel disconvenientiæ (imparia) sæpiùs, rariùs, vel cum ordine, eaque generalia antecessionis (antecedentia) ante, consecutionis (consequentia) post, vel specialia, primò, secundò; hæc si modificant singula verba, indicant modum agendi adjunctum, si integras sententis indicant, methodum, tumque à nonnullis habentur pro conjunctionibus.

13. Ad-

13. Adverbia ſunt generalia, eaque abſoluta, ut, verè, bene, malè (adjunctum) modum in actionibus ſucceſſivis, (modum eſſendi ſeu formalem) huc pertinent adverbia eventus, fortè, caſu (modum cauſæ:) vel reſpectiva, eaque comparativa vel diſtributiva: & comparativa ſimilitudinis, ut ſicuti, diſſimilitudinis, ut, ſecus: vel ſeparandi, ſenſim, privatim, ſigillatim (diſtributionem vel adjunctum:) vel ſpecialia eaque ſimbiotica vel cæterarum diſciplinarum, quæ diligenter ad generalia ſunt reducenda.

14. Sic ſe habent adverbia heuretica, ſequuntur critica, eaque axiomatica vel methodica: Axiomatica ſunt primò affirmandi, eaq; ſimpliciter, ita, equidem, certo modo, ubi explicativa (definitionem) ſcilicet jurandi, mehercule, correctiva, potiùs, imò, & ironica (quæ contrarium modum exprimunt: ſecundò negandi ſimpliciter, non, haud; vel certo modo & quidem univerſaliter, nunquam, nuſquam: vel particulariter, vix, vel dubitandi forſan, forſitan.

15. Adverbia methodica ſunt adverbia ordinis, quatenus ſententiarum ordinem exprimunt, primùm, deinde, deinceps, cæterum, porro, poſtremo, inſuper, præterea, rurſus, &c.

CAP. II.

De Præpositionibus.

1. PRæpositio est vox invariabilis quæ variabilium habitudinem, mediatâ seu relatâ voce significat seu exprimit. Generalis ipsarum divisio est quod significent motum & quietem, vel utrumque pro diversitate constructionis: propriè sumptæ significant motum, & quietem propriè dictum, impropriè dictum scilicet processum Metaphysicum, qui in omni omnino operatione occurrit.

2. Præpositiones sunt separabiles vel inseparabiles.

3. Separabiles sunt generales vel speciales: illæ sunt Metaphysicæ hæ symbioticæ.

4. Metaphysicæ significant habitudinem primam, vel primam comparationem seu ordinem. Habitudinem primam vel communiter ut versus, adversus, ergà (objectum consentaneum) vel contra (plerumque objectum dissentaneum:) vel specialiter & certo modo respectu termini, à quo, ad quem, & per quem: ubi occurrunt quædam quæ unionem & quæ dissensionem significant.

5. Terminum à quo exprimunt, a, ab (antecedens objectum, causam efficientem) e; ex (antecedens materiam, causam efficientem) de, antecedens objectum.

6. Ter-

6. Terminum ad quem exprimunt, uſque (ad objectum exemplar) in cùm accuſativum regit (objectum finem) cæteræque unionem ſignificantes quatenus motum ſignificant: ſuntque ſpeciales & exprimunt objectum conſequens, ut, ſub, ſubter, infra, &c.

7. Terminum per quem ſeu medium exprimit per ſubjectum ſucceſſivum, cauſam inſtrumentalem inter ſubjectum combinatum, ſeu diverſo reſpectu antecedens & conſequens diſtinctionem, eamque comparativam vel diſtributivam. Medium eſt terminus ad quem reſpectu motus futuri: ſubjectum in quo, reſpectu motus præſentis.

8. Præpoſitiones ordinem ſignificantes exprimunt anteceſſionem, connexionem, & conſecutionem, quæ aliquando ſumuntur abſolutè, & ſignificant argumenta abſoluta: aliquando comparatè, & ſignificant argumenta comparata.

9. Anteceſſionem ſignificat, præ (antecedens, cauſam impulſivam, majora) pro (antecedens, impulſivā finem cui) ante (antecedens majora)

10. Quæ connexionem ſignificant, eam ponunt vel tollunt; quæ ponunt, aut ponunt eam ſimpliciter, aut ejus modum gradumve exprimunt.

11. Simpliciter ponunt cum (connexa, objectum) apud (connexa, ſubjectum recipiens) juxta (connexa, ſubjectum recipiens, majora)

majora) item, secus, tenus, significant causam exemplarem, objectum propinquum.

12. Modum ponunt, circa, circum, (connexa objectum) intra (subjectum intimum) infra, supra, sub, super, subter, (connexum, subjectum recipiens ad se, imparia.

13. Gradum connexionis indicant prope, circiter (connexionis modificationem.

14. Quæ connexionem tollunt aut tollunt eam simpliciter, ut, absque, sine, citra (negant connexa, causas, subjecta) vel certo modo & gradu minimè vel modum extra, vel terminum exprimunt, idque augendo, trans, ultra, vel minuendo, cis, citra: Cis indicat subjectum recipiens, & nonnunquam objectum: præter excipit aliquid seu negat de genere.

15. Consecutionem significant, post, penes, secundùm consequens, causam exemplarem.

16. Præpositiones speciales seu symbioticæ respiciunt præsentium, coram, (objectum symbioticum personale) vel scientiam eam ponendo, palam, vel negando, clam.

17. Præpositiones inseparabiles denotant unionem eamque vel simpliciter, tum vel omnimodam am, vel iteratam re: aut disjunctionem, aut repetitam, ut, di, dis, re.

CAP.

CAP. III.
De Conjunctionibus.

1. SEquuntur voces invariabiles compositæ, ſcilicet conjunctio.

Conjunctio eſt vox invariabilis quæ plures voces vel ſententias connectit: Eſtque enuntiativa vel ratiocinativa.

2. Enuntiativa conjunctio eſt quæ partes ſententiæ (compoſiti axiomatis) connectit. Hinc multorum judicio excipienda eſt, conjunctio facti (objecti) quod, & cauſales ut, eæ quidem ſecus ac pronomina relativa faciunt ſententiam grammaticè compoſitam, ita ut duplex nominativus triplexque occurrat, ſed non logicè: ratio utriuſque eſt, quia illæ conjunctiones non conſtituunt partes propoſitiones fundamentales, ſed minus principales ſeu amplificantes,

3. Conjunctio enuntiativa eſt congregativa vel ſegregativa: illa eſt quę voces & res ſeu ſcriptum conjungit: hæc ſi affirmetur conſentanea, ſi negetur diſſentanea enuntiat.

4. Conjunctio congregativa eſt copulativa vel connexiva: copulativa quæ partes propoſitionis ſimpliciter conjungit, ut, &, que, quoque, ac, atque, etiam, item, non ſolùm verum tamen, imò adeoque, vel verò, cùm tum, hîc nota 1. Conjunctiones expletivas

ſeu

ſeu repletivas habere vim grammaticam, non logicam: 2. Conjunctiones explanativas ſeu paradigmaticas ac explicativas nonnunquam in axiomate ſimplici, nonnunquam in compoſito occurrere,& tum referri poſſe ad tales ſunt,ſcilicet,videlicet,nimirum, nempe, quippe, puta,¦ſeu. 2. Seu expletivè non disjunctivè ſumptum, ac nonnunquam, &, ac, ut, 3. Ad copulativas referendas eſſe diſcretivas vulgo dictas, ſi propoſitio ſit affirmata, Sic enim ſunt congregativa non diſgregativa, enuntiantque conſentanea, connexa.

5. Conjunctio connexiva eſt quæ partes propoſitionis vi conſecutionis, id eſt, conſequens vi antecedentis connectit, ut,ſi, ſin,niſi, quatenus, modo, ſaltem.

6. Conjunctio ſegregativa eſt quæ verba, quod conjungit, ſententiam verò disjungit: hæc tantùm enuntiat argumenta diſſentanea, eſtque diſcretiva vel disjunctiva.

7. Conjunctio diſcretiva eſt quæ conſecutionem negando, partes axiomatis disjungit, ut, at, aſt, ſed, etenim, ſed enim, verum, quanquam, quamvis, etſi, licèt, tamen, nimirum, ſi propoſitionis pars una affirmetur, altera negetur, enuntiat argumenta diverſa.

8. Conjunctio disjunctiva eſt quæ partes enuntiationis ſimpliciter ſejungit, ut non niſi una vera ſit, vel, aut, ſive, ſeu, enuntiant argumenta oppoſita; etſi enuntiet adverſa, unde dicitur adverſativa, 9. Con-

9. Conjunctio ratiocinativa est quæ partes ratiocinationis, discursus, conjungit: Estque syllogistica vel methodica.

Syllogistica est quæ partes syllogismi nectit, estque causalis vel ratiocinativa.

10. Conjunctio causalis est quæ positivæ sententiæ rationem exprimit, ut, nam, etenim, enim, quia, quoniam, quando, quandoquidem, quod, propterea, cum indicant præmissas atque assumptionem. Rationales sunt quæ ex priori sententiâ aliam educunt, ut, ergo, ideo, igitur, perinde, propterea quamobrem, ita, itaque, indicant conclusionem.

11. Conjunctio Methodica est quæ integras sententias seu periodos connectit, insuper, adhæc, præterea. postea, postquam, deinde deinceps, denique: non raro copulativæ itemq; connexivæ habent vim methodicam, his autem observatis Analysis methodica permovetur insigniter.

CAP. IV.

De Interjectionibus.

SIc fuerunt voces invariabiles dissertationis intrinsecæ, sequuntur extrinsecæ, quæ differentis (maximè proponentis) statum exprimunt, unde sunt notæ thematicæ interjectiones.

1. Interjectio est vox invariabilis animi proprietatis affectum indicans. Hinc ubicunque occurrit interjectio, observandum est proloquium, seu ratio & dissertatio. Reducendæ sunt autem interjectiones ad tabulam prædicamentalem, iisque congrui affectus sunt applicandi.

2. Interjectio est silentis, an, st, pax: vel loquentis eaque generalis exclamantis, ô, proh: vel specialis primitivi congrui, ut, evax, io, vel congrui scilicet metuentis, oh, atat, hei: vel dolentis heu, ah, hei, eheu, hui.

Interjectio affectus derivativi est absoluti, v. symbiotici, absoluti est judicii vel indicii, judicii theoretici vel practici: Theoretici admirantis, papæ, hui, hem, ohe, vah; vel fastidientis, ohe, fi, apage: Practici sunt approbantis, euge; vel indignantis, hem, oh, vah.

3. Interjectio indicii est ridentis, ut, ha, ha, he; irridentis, ut, hui, vah: Flentis, hei, ehe, oh, a, au, ehei, &c.

4. Interjectio affectus symbiotici est generalioris seu vocantis, heus, ehe, vel ridentis, hem, ehem: Aut specialioris quæ est blandientis, ut sodes; Hortantis, eia, age; vel minantis, væ: nimirum interjectiones aliæ sunt variis affectibus communes, aliæ certis propriæ, illarum usus ex contextu & circonstantiis facile colligitur.

Usus Veredi.

Solida cognitio absolvitur generalium & specialium pulcherrimâ subordinatione & coordinatione, idque tum in vocibus, tum in rebus.

Vox generalis hoc loco est ipsa radix seu thema, & dicitur generalis, quia plures sub se comprehendit: & illa quidem sic est memoriæ mandanda, ut ordo, numerus, quotidiana repetitio, cognitio & antithesis conjungantur.

Voces speciales sub generalibus continentur, seu ab illis oriuntur, idque vi derivationis & comparationis: in derivatione oportet ante oculos habere terminationes didacticas quæ indicant materiam & formam, potentiam, motum; locum, tempus, majus, minus, ad quos octo fontes reducuntur omnes omnino terminationes in compositione septem orationis partes, (nam interjectio non multum promovet hoc artificium) oportet inter sese combinare & rursus attendere vim compositionis nominatim in propositionibus, quæ, revocantur ad sex illos fontes, putà, ad intensionem, negationem, privationem, distractionem & cohæsionem.

In utrisque his vocibus oportet spectare analogiam & anomaliam, motionem, degenera-

nerationem, ſynonyma vel extra affinia, oppoſita ſeu antitheta, appoſita ſeu epitheta, idque tum in nominibus, tum in verbis. Ex his omnibus patet ordinem in vocibus dirigendis eſſe deſcendentem, aſcendentem & collateralem. Aſcendentem ut quando vox orta deducitur ad primam & compoſita ad ſimplicem: Deſcendentem ut quando ex voce primâ colliguntur derivativæ, ut ex ſimplici compoſitæ: Collateralem ut quando Analoga, anomala & ſequentia adducuntur in medium.

Res generales ex lexico ſingularum, & hiſtoriâ promuntur quæ duo lexicon, & hiſtoria in ſingulis facultatibus & diſciplinis locum habent.

Lexici uſus ita ſe habet.

I. IN qualibet voce attendendum num ad unam vel plures diſciplinas pertineat. Itaque ſeries ſeu catena diſciplinarum ſit in promptu, & vis vocis lata & ſtricta, itemque propria & impropria attendatur etenim fiet ut ſtatim occurrat ſedes termini primatia & ſecundaria.

II. Quælibet vox cum qualibet combinari poteſt (ſcilicet vel ſubjectivè vel attributivè) ſi relatio Logica illius attendatur: hujus autem relationis duo ſunt capita, videlicet conſenſio

&

& dissensio: Eaque quintuplex nimirum thematica, topica, axiomatica, syllogistica, methodica.

1. Thematica consensio & dissensio ostendit an vox cum nostro themate collata consentiat vel dissentiat; hæc autem consensio & dissensio inter duo vocabula invenitur, si adhibeantur plura vocabula quæ possunt ex lexico elici.

2. Consensio & dissensio topica est prima vel orta, simplex vel combinata, artificialis vel inartificialis: itaque in conspectu sint loca inventionis, quatenus se habent ad alia, ut causæ & effecta, & vicissim, ut genus & species, vel vicissim: hic autem frequenter usu venit, ut vox una arguat alteram sex, septem, vel etiam omnibus modis qui occurrunt in logica inventione.

3. Consensio & dissensio axiomatica communiter in vocabulis quæ notant affirmationem vel negationem, veritatem vel falsitatem, necessitatem vel contingentiam, universalitatem, vel specialitatem, vel singularitatem simplicitatem vel compositionem, inter quas cernitur mutua priorum & posteriorum complicatio.

4. Consensio & dissensio syllogistica indicatur vocabulis consequentiam & inconsequentiam argumentorum indicantibus, ubi excellunt conjunctiones syllogisticæ ratioci-

 nativæ,

nativæ, quin, enim; &c. Consequens continetur in antecedente potentiâ proximâ.

5. Consensio & dissensio Methodica indicatur vocabulis ordinem & confusionem significantibus.

Atque quintuplex ista consensio & dissensio est lydius lapis omnium vocabulorum ritè combinandorum, idque hoc modo.

Consensio & dissensio thematica pertinet ad methodum, ubi themata homogenea consentiunt, heterogenea dissentiunt. Homogenea sunt quæ ad eundem scopum tendunt. Heterogenea sunt media quæ ad diversos fines ducunt. Hæc autem ars omnium artium ex universorum vocabulorum sylva elicere docet, vel quæstiones, vel terminos Logicos oratione vestitos.

Consensio & dissensio topica cernitur in axiomate & syllogismo. In axiomate quatenus duo vel plura vocabula conjunguntur affirmativè vel negativè, idque in casu recto vel obliquo, item propriè vel impropriè, unde resultat copia propositionum in syllogismo, quando duo vocabula axiomaticè disposita conferuntur in aliquo tertio cum aliquo vocabulo quod ostendit nexum subjecti & prædicati: Tertium enim vocabulum cum duobus collatum habet cum illis affectionem consentaneam vel dissentaneam.

III. Dis-

III. Dissertarus de aliquâ re percurre lexicon compendiosum, & ex quavis literâ adhibito singulari & judiciosodelectu, excerpe vocabula insignia, quæ thematis tui naturam propius accedere & exhaurire videntur: hoc artificium non solum immensam rerum sylvam ex tempore dicendam tibi comparabit, sed etiam memoriam, supra quam dici queat, juvabit.

IV. Vocabula quæ selegisti sunt dijudicanda & amplificanda. Dijudicatio fiat juxta primam & secundam regulam.

Amplificatio est verbalis vel realis: illa est quâ nuda sententia sic amplificatur, ut inde oriatur periodus una & altera, id quod per viginti figuras Rhetoricas facilè præstari potest si nempe in conspectu sit tabula figurarum istarum secundum omnes formulas.

Amplificatio realis est definitio, oppositio, comparatio, distributio & testimonium; Nam hę quinque singulis combinationibus possunt servire. Et ità se habet Genesis Logica.

De Analysi Logica.

ANalysis rerum quę audiuntur, leguntur, scribuntur, I. Sit realis, deinde rationalis. Analysis realis est cùm in eo quod resolvendum est, attenduntur voces singulæ, nimirum primariæ categoricæ, & revocantur ad suas dis-

cipiinas, si enim hoc artificium adhibeas æque in Analysi ac in genesi fœcundus & facundus eris.

Analysis notionalis. i. e. modalis est illa quidem Grammatica, Rhetorica & Logica, sed hæc postrema facit ad nostrum institutum: Est autem illa pro numero instrumentorum Logicorum, thematica, topica, axiomatica, syllogistica & methodica.

Analysis thematica nititur hoc fundamento, quot voces incomplexæ, tot themata simplicia, & quot quæstiones tot itidem themata complexa exceptis tribus, An, num, utrum: porrò hæc Analysis investigat thema in axiomate syllogismo & methodo: In axiomate simplici pars antecedens semper est thema simplex: sed in axiomate composito, nunc pars antecedens, nunc consequens continet thema simplex, (ut Psal. 103.) & in axiomate connexo itemque disjuncto thema compositum continetur virtualiter. In syllogismo thema compositum integrum semper latet in conclusione. In methodo thema colligitur ex partitione principali, vel ex formulâ quæstionum, vel ex loco communi, vel denique ex titulo.

Analysis topica investigat loca inventionis ex his maximis.

1. Verba activa, & deponentia itemque voces significantes ortum, progressum interitum,

indicant

indicant causalitatem efficientis. Nomina autem pronomina & adverbia ipsis addita significant connexionem causæ cum aliis causis.

2. Voces exclusivæ denotant causam solam factam, prærogativam significantes notant, subindicant causam principalem. Voces irritationem & imitationem notantes indicant causam impulsivam: Denique creaturæ respectu creatoris, & nomina instrumentorum liberalium & illiberalium, manifestant causam instrumentalem.

3. Voces naturalem propensionem sive inclinationem notantes indicant causam naturalem, naturæ intellectu præditæ agunt consilio, abusus, coactio, imprudentia, inscitia indicant causam per accidens.

4. Nomina partium essentialium indicant materiam & formam.

5. Nomina elementorum, meteororum, & partium integralium, & denique voces significantes sensibilem vel intelligibilem constitutionem indicant materiam.

6. Nomina abstracta, itemque nomen animæ & figuræ indicant formam.

7. Voculæ, ad, propter, causa, gratia, ergò, item vocabula perfectionem ac utilitatem rei significantia notant finem.

8. Voces quæ motum & rem motu factam significant causæ efficientis effectum indicant, reliqua effecta exprimuntur suarum causarum voci-

vocibus vi correlationum seu connexionum.

9. Substantivum & adjectivum scilicet nominale & pronominale, participialeque, indicant subjectum & adjunctum, intellige adjunctum verè vel quasi.

10. Vocabula quantitatis & qualitatis & temporis significant adjunctum receptum, unde simul indicatur subjectum recipiens.

11. Voces quæ significant rem agere, ferri circa aliquid denotant subjectum vel objectum occupans unde adjunctum occupatum.

12. Vocabula significantia locum, & quamcunque receptionem sive passionem denotant subjectum recipiens.

13. Antecedentis & consequentis notæ sunt vocabula seriem seu ordinem significantia.

14. Connexa significantur vocabulis unitatem, unionem & communionem naturalem vel voluntariam arguentibus.

15. Atque hæc sunt consentanea quorum notæ in genere sunt voces affirmantes: sicut è contra voces negantes dissentanea, quod quidem obtinetur consensione & dissensione topicâ, axiomaticâ, syllogisticâ.

Porrò consensio & dissensio topica est artificialis vel inartificialis, prima vel orta, simplex vel composita, ubi semper prior est mensura posterioris. Ad extremum consentanea possunt fieri dissentanea, & vicissim, prout enuntiantur in casu recto vel obliquo.

16. Di-

16. Diverſorum notæ ſunt voces limitationem vel diſtinctionem ſignificantes, itemque conjunctiones diſcretivæ ſive prolepticæ, quæ ſemper notant ſolutionem & occupationem objectionis.

17. Diſſentanea ſignificantur conglobatione ſeu enumeratione multarum rerum.

18. Relata indicantur nominibus unicam oppoſitionem ſignificantibus, adeoque omnibus logicis terminis, ita ut ſemper bene opponantur.

19. Adverſorum notæ ſunt vocabula quæ ſignificant pugnam rerum in naturâ exiſtentium.

20. Contradicentium nota perpetua eſt adverbium negandi, item particula in negatione uſurpata, in comparatione, & denique cum prædicatum deſtruit ſuum ſubjectum.

21. Privantia ſignificantur vocibus abſentiam & carentiam rei repræſentātibus, ut mors.

22. Comparatorum notæ ſunt modi ſeu vocabula unitatis, identitatis, & diverſitatis, quatenus res dicuntur unæ, eædem, vel diverſæ, cauſis, effectis vel ſubjectis.

23. Parium notę ſunt, æqualem gradum, ſeu eandem quantitatem Logicam ſignificantia, verbi gratia, æque, atque, tantus, quantus, tam, quam.

24. Imparium notæ ſunt vocabula exceſſum vel excellentiam ſignificantia.

25. Simi-

25. Similium sunt omnes metaphoræ, adverbia similitudinis.

26. Dissimilium notæ sunt perpetua negatio similitudinis.

27. Notationis Logicæ perpetua 'est nota cum notatione grammaticâ, ex aliquo loco inventionis explicatur, ut manus à mando.

28. Conjugatorum notæ sunt, abstracta, concreta, & adverbia tria subtilitatis.

29. Distributionem significant voces partitivæ, e. g. partim, cum, tum, sive, vel.

30. Genera & species in prędicamentis notant nomina appellativa, sicut individua significantur nominibus propriis, & differentiæ adjectivis.

31. Definitionem perfectam indicant voces formam & proprium effectum vel adjunctum significantes.

32. Testimonium significant voces authoritatem sive authorem & testem significantes, seu sententiæ vel similitudines quæ citantur ex authoribus sanctis vel authenticis.

Analysis Axiomatica gubernatur 8 *regulis.*

1. PRopositio simplicissima est quæ dicitur binaria seu secundi adjecti.

2. Propositio simplex ternaria seu tertii adjecti,

jecti, vi potest resolvi in propositionem binariam, & aliam aliquam.

3. Propositio composita ad minimum potest resolvi in duas simplices propositiones.

4. Rectificatio subjecti & prædicati est instituenda, vel ex fine axiomatis, vel ex notis argumentorum: Ex fine ita quia propositionis finis est explicare, res explicanda semper est subjectum: Ex notis ità causa præcedit effectum, & subjecto prius est adjuncto in consentaneis sed in dissentaneis ratio ista antecessionis & consecutionis non habet locum, quia sunt æqualis notitiæ.

5. Periodus ita dicitur ut axioma.

6. Verba conjunctionis axiomaticæ voces affirmantes vel negantes, latitudinem & restrictionem significantes, & denique voces modales, quæ, qualis, quanta sit propositio.

7. In Analysi artium omnes propositiones sunt exigendæ ad lydium lapidem; suntque de omni, per se, reciprocè.

8. In propositionibus populariter dispositis, oportet removere exornationem Rhetoricam & quamvis amplificationem.

Hinc versus Mnemonici.

Bina tribus compone prius, post rectificabis
Periodum, positas artes vulgoque probatas.
Quibus complectuntur hæ octo regulæ.

Ana-

Analysis syllogistica sic est instituenda.

1. Conjunctiones causales seu causativæ semper indicant medium terminum, sive argumentum probationis, & plerumque minorem seu assumptionem.

2. Conjunctiones rationales, quæ etiam dicuntur conclusivæ, illativæ, ratiocinativæ, semper indicant conclusionem.

3. Analysis syllogismi in dispositione instituitur juxta leges axiomaticas, ita ut tres propositiones syllogismi ad illum lydium lapidem dirigantur.

4. Analysis syllogismi apud Oratores & Poëtas instituitur per notas in Analysi topicâ dictas, quia ex omnibus locis inventionis fit syllogismus exceptis solis diversis.

5. Syllogismus simplex ibi esse intelligitur, ubi non occurrit conjunctio connexiva vel disjunctiva.

6. Omnis probatio fit per antecedentia, consequentia, & repugnantia, itaque in Analysi syllogistica, omnia loca inventionis (exceptis diversis) ad hæc tria summa capita revocantur.

7. In artibus debemus attendere, definitiones & distributiones, canones scilicet regulas, & commentaria, scilicet locos communes.

Ana-

Analysis Methodica sic instituitur.

1. ADverbia ordinis & conjunctionis methodicæ, ordinativæ, connexivæ, transitivæ, sint in conspectu.

2. Quæstiones, quis, quid, quantus, apprimè faciunt ad analysin Methodicam.

3. In analysi methodica attendantur circonstantiæ, itemque antecedentia, connexa, consequentia.

4. Analysis dogmatica oppidò erit facilis, si cogitetur qualis locus communis tractetur.

5. Integra disciplina resolvitur juxta leges methodi synth. Analyt.

6. Partis disciplinæ Analysis sit analoga totius.

7. Tot sunt methodi quot sunt combinationes locorum inventionis.

8. Analysis methodica utiliter repræsentatur aliquâ tabellâ, scilicet juxta præsentes regulas.

FINIS.

ARTIFICII DEFINIENDI CATHOLICI
Seu
HERMETIS CATHOLICI.
LIBER PRIMUS.

Caput I.

De Artificio definiendi catholico in genere.

I. ARtificium *definiendi Catholicum* est quod docet modum omnium Encyclopædiæ terminorum definitiones accuratè inveniendi ac dijudicandi.

II. *Hujus partes* duæ ſunt, generalis & ſpecialis, ſeu communis & propria.

III. *Pars generalis* eſt quæ hoc artificium

ex suis principiis primis ac communibus sapienter explicat.

Specialis est quæ id singulis disciplinis prudenter applicat.

IV. Pars generalis agit de hujus artificii scopo, subjecto & mediis.

V. *Scopus* hujus artificii est fœlix, i. e. facilis, solida ac practica, & quoad in hac vita fieri potest certa perfectaque universa Encyclopædiæ cognitio.

VI. *Definitiones* quippe, ut vivæ accuratissimæque disciplinarum, adeoque & rerum, picturæ, sunt omnis Geneseos & Analyseos radices, claves ac normæ.

VII. Omnem enim mentis & entis, cùm reductionem, tum deductionem complectuntur, si singula definitionum verba in primos terminos per scalam descendentem & ascendentem resolvantur, sic enim erunt omnigenæ reductionis claves, argumentorum compendia, propositionum fontes, syllogismorum & methodorum lumina.

CAPUT II.

De rebus definiendis ac artifice definiente.

I. S*Vbjectum operationis hujus Artificii*, est res definienda: informationis artifex definiens: Tractationis ipsa definitio: quæ utrique

que ſcil. tum naturæ definiendi, tum definientis capacitati, debet eſſe proportionalis, unde quidquid competit definitionibus eſt admittendum, quod repugnat rejiciendum.

Atque ſic eſt inſtituenda reductio per ſcalam entis & mentis, & hoc verum tum in Geneſi, tum in Analyſi.

II. *Res definienda* eſt res quælibet ab homine accuratè in diſciplina aliqua cognoſcibilis & applicabilis: nimirum omnes & ſinguli termini Catholici Philoſophici, Medici, Juridici, Theologici, & Mechanici, quod tum ratio, tum experientia evincit, nam tantum ſcit homo ſolide, quantum ſcit definire.

III. Definiri itaque & poſſunt & debent non ſolùm entia realia, ſed & rationis, ſecus nullæ forent definitiones notionum ſecundarum, omnis ſtrictè dictæ artis, v. g. Grammaticæ, Rhetoricæ, Logicæ: Et non ſolùm compoſita ſed & ſimplicia: quia requirit hoc diverſa mentis applicatio, ſimplicibuſque non definitis nunquam poſſunt definiri compoſita: non ſolum completa, ſed & partis; ſecus perit Matheſis, Botanica, Anatomica: non ſolæ ſubſtantiæ, ſed & accidentia: cum pleræque diſciplinæ de his agunt, & juxta vulgares Philoſophos nullius ſubſtantiæ perfecta definitio ſciatur.

Non ſola Entia ſeparata ſed & collectiva, ut patet ex Theologia, Jure, Medicina, Phyſica:

Non sola Entia per se, sed & per accidens, modò ipsorum unio sit scibilis: Non sola positiva, sed & privationis, eaque cum naturalia, tum moralia, secus nec vitia in Theologia, nec crimina in Jure, neque morbi in Medicina tractari possent: Denique non solæ species subalternæ, sed etiam termini primi & generalissimi, cum ab illo tum definitione, omnes pendeant: itemque individua immutabilia: itaque aut hi termini primi sunt definiendi, aut de omni definitione desperandum.

IV. *Artifex definiens* hic dicitur qui definitionem invenire, vel saltem inventam cum fructu agnoscere potest: is non solum est exercitatus Artifex, sed quivis etiam Tyro alicujus disciplinæ capax: omnis quippe homo rationis usu prȩditus potest fructuosè intelligere primò generalium, tum suæ disciplinæ terminos, tum definitionis. Itaque ut definitionis artificium est omnis frugalis eruditionis canon, ita & fundamentum.

V. Etenim ars Catholica, adeoque ars definiendi præcipua ipsius pars, homini est naturalissima, utpote qui & species innatas habeat, ex quibus & modos procedendi impressos, reductionem & deductionem, per quos res videt, aut à sensibus aut à cogitationibus primis oblatas, de quibus definitiones conficit, nam natura format doctrina ordinat, ordinata consummat definitiva per hanc humanæ mentis vim.

Hinc

Hinc pueris innata sunt trium tabularum, huic artificio necessariarum semina, innatusque ardor illas inter se combinandi & conferendi. Unde patet omnes linguas esse prima definitionum fundamenta; quòque lingua sit nobilior, eò definitionibus esse propriorem.

CAPUT III.

De Definitione.

I. DEfinitio est mentis resolutio; qua rei essentiam congruentissime explicat, ubi nota 1. Ut definitio est expositio clarissima, ita ejus artificium si ordine præcedat facillimum. Est tamen periodus triplex, puerilis, crescens, adulta. 2. Omnis resolutio est plurium, unde in definitione uti debemus pluribus notionibus. 3. Omnis resolutio est partium multiplicatio. 4. Omnis resolutio necessario præsupponit genesim.

II. *Definitionis consideratio* est generalior: Illa explicat definitionis σκίνην seu supplectilem, adeoque naturam & structuram communiter.

III. *Natura definitionis* patet ex ejus communibus affectionibus & divisionibus.

De communis affectionibus notentur sequentia.

1. Cum definitio sit resolutio, utique constabit pluribus si non vocibus (ut aliquando una

una compoſita æquipollet pluribus ſimplici-bus) ſaltem notionibus, ſeu cogitationibus.

2. Cùm ſit reſolutio conſtabit notionibus intimè ſibi conjunctis, quippe quod reſolutio ſit totius in partes diſtinctio.

3. Cùm ſit reſolutio, utique erit definito adæquata, ſeu reciproca, adeoque nec major ſeu latior, nec minor ſeu anguſtior, i.e. omnis definitio ſub definito incluſos implicitè includit, ab eo excluſos ſecludit.

4. Cùm definitio ſit explicatio, utitur utique notionibus, adeoque & verbis tum certis tum notioribus: notioribus nimirum vel abſolute vel reſpectu certi diſputationis ſtatus: Sic herbæ Indicæ nobis Europæis deſcribuntur ex herbis Europæis. Vitandus igitur circulus qui eſt duplex, vel immediatus cum ipſummet definitum aut definiti conjugatum aut oppoſitum occurrit in definitione termini non primi: Vel mediatus, cum definitionis partes non poſſunt explicari niſi explicentur ex definito.

5. Cùm definitio ſit explicatio, utaturque notionibus certis ac claris, neceſſe eſt, ut vel non utatur phraſibus & vocibus ambiguis: vel ſi utatur eas præcipua diſtinctione ac ambiguitate liberet, unde foret utiliſſimum ſingulis diſciplinis præmittere earum nomenclaturam: ſæpe autem ſubjecta materia & contextus ambiguitatem tollit, v. g. ſatis conſtat vocem, *radix*, aliter in phyſicis, aliter in Arithmeticis, aliter in Botanicis ſumi.

VI.

6. Itaque ob vocabulorum tum inopiam, tum ambiguitatem, non rarò artifex ὀνοματοποιεῖ; i. e. aptiores voces excogitat: quod inprimis in generibus & differentiis ignotis aut anonymis locum invenit: Atque maximè sese exerit usus conjugatorum barbarorum, idque in linguis tum eruditis, tum aliis.

7. Cùm sit explicatio congruentissima, utique vel rei differendæ, vel differentibus, vel dissertationi accurate convenit: Atque hinc oritur prima definitionis generalis divisio.

8. Cum sit explicatio essentiæ, utique rem, adeoque rei essentiam, virtutes & operationes, vel saltem aliqua intima rei quàm clarissime exprimit.

9. Cùm definitio sit explicatio congruentissima, utique accuratam instituet cùm reductionem, tum per circulum Analyticum deductionem, ut omnia omnibus & singulis dissertationis quâ partibus, quâ attributis maxime conveniant: Atque hinc oriatur omnis definitionum apud probatos, sacros præsertim authores varietas: sic sacra scriptura etiam per circonstantias varietate describit varia. Atque hinc resultat artificium cùm ortu, tum usu nobilissimum, quo una eademque res plurimis modis definitur: hinc variarum definitionum & copia & delectus oritur.

CAPUT IV.

De communibus definitionum divisionibus.

SEquuntur communes definitionis divisiones, quæ sunt

I. *Definitio est perfecta vel imperfecta.*

Illa est quæ rem natura clarissimis maximeque essentialibus terminis explicat: unde non tam personæ percipientis quàm rei percipiendæ rationem habet: dicitur Acroamatica, quæ in omnibus artibus etiam puerilibus sanctè debet observari. Ab hac minimè recipienda sunt verba tropica, si propria suppetant, nisi inpropria significatio frequentior sit propriâ.

Hæc plerumque constat genere & differentia proximis, nisi quod in summis terminis conjugata iis æquipolleant, estque eò melior quò rigidior ac nervosior.

II. *Definitio imperfecta* est quæ majorem percipientium, quam rei definiendæ rationem habet: eam & terminis differentium statui congruentissimis explicat: dicitur Exoterica, magnumque habet usum apud Oratores, Poëtas, similesque dissertatores populares: sumitur autem ex argumentis omnibus, ubi duplex occurrit artificium idque nobilissimum.

Primum quo unam eandemque rem pro disciplinarum varietate varie definire novimus.

mus. Alterum quo ſcientificam cum populari, hancque cum illa permutamus ingenioſè ubi ſemper perfecta ſit norma imperfectæ.

III. *Definitio imperfecta eſt Ellyptica, Pleonaſtica vel Enallactica.*

Illa eſt quæ aliqua maxime eſſentialia argumenta omittit: ut, homo eſt animal viſibile. Iſta quæ aliqua non maxime eſſentialia addit, ut, homo eſt animal rationale, docile: Hæc quæ argumenta inter ſe permutat, ut homo eſt Angelus corporeus vim diſſerendi habens. Datur autem varia harum anomaliarum combinatio, ita ut definitio ſit ex una parte deficiens, ex altera redundans, & ſic deinceps.

IV. *Definitio perfecta eſt clara vel ænigmatica.* Illa eſt quæ facilem notitiam ſimpliciter intendit: hæc eſt quæ intendit rei notitiam obliquo modo & gradu: Illa ſimplicem, hæc correlatam lucem adhibet, eſtque pictura nocturna: tales ſunt definitiones typicæ, parabolicæ, emblematicæ, hieroglyphicæ, ſimileſque hæ requirunt accuratam tum geneſim, tum analyſim.

V. *Definitio eſt vel rei vel vocis*: illa eſt quæ immediatè rei, hæc quæ immediatè vocis naturam explicat.

Definitio vocis complectitur vocis ſynonymiam, eamque vel in eadem vel in diverſis linguis; & Etymologiam. In definitione vocis notatur,

1. *Definitio vocis* eſt progymnaſma definitionis realis, ideoque primò tractanda.

2. Omnium vocum inveſtiganda eſt Etymologia, nimirum derivatarum, & eadem primitivarum ex primis linguis nominatim græcâ & hæbræâ.

3. Hinc quo quis plures callet linguas, eò in definiendis rebus eſt expeditior, nulla quippe lingua tam abſurda eſt, quin aliquid notificet; unde liquet philologiæ utilitas, imò neceſſitas.

CAP. V.

De fabrica tabularum fundamentalium in genere.

I. SIc fuit natura definitionis; ſequitur ejus ſtructura: ubi videndus inſtrumentorum neceſſariorum apparatus, eorumque uſus.

II. *Inſtrumenta neceſſaria* ſunt frugalis artium logicarum, & fundamentalium tabularum cognitio.

III. *Frugalis artium Logicarum cognitio* conſiſtit in ſolida Grammatices, Rhetorices, Oratoriæ, artiſque generalis praxi.

Per artem generalem intellige artem illam cuilibet homini impreſſam, cujus ductu quilibet homo metitur combinationem univerſalem terminorum inter ſe, quæ quidem ars per-

perfectè gubernat omnem omnino mentis humanæ processum.

IV. Tabulæ fundamentales (quæ sunt certæ terminorum homogeneorum subordinationes & coordinationes) sunt faciles, sed accuratæ totius mundi, totiusque Encyclopædiæ repræsentationes: Eæ considerandæ sunt in genere & in specie.

In genere videnda earum fabrica & usus.

De fabrica notentur sequentia.

1. Omnium tabularum fabrica nititur continuata inductione.

Continuata illa *inductio* est quâ mentem nostram per omnes rerum circulos, etiam atque etiam deducimus, omnemque varietatem ad primigeniam quandam paucitatem reducimus.

2. Inductio illa habet quasi tres periodos, est enim puerilis, crescens & adulta. Puerilis est quâ mens solo sensuum beneficio eam instituit. Hæc ut prima est, ità cæterarum fons & radix: Plurimum eam promovet, cogitatio linguarum, etiam vernaculæ.

Crescens est qua mens à libris adjuta & manuducta procedit. Hîc excellunt Nomenclaturæ, Lexica, & compendia disciplinarum

Adulta est quæ gradatim & universaliter procedit, ità ut sensuum confusionem corrigat, artiumque defectum ordinatissime ex primis terminis progressu compenset.

3. Inductio illa sit Catholica, i. e. instituatur ab omnibus hominibus per omnes omnino disciplinas, in omnibus meditationibus, adeoque in inventione tam thematis, quàm argumentorum, eorumque tam minus principalium quàm principalium, potest in infinitum repeti ac reciprocari.

4. Quod ordo circulorum constituendus sit, quò enim inductio est perfectior, eò quoque ipsamet inductio est excellentior: non tamen modo graduque inductionis negato, protinus ipsamet inductio omittenda est. Nam exercitationem ipsam rerum circulus corrigit, ac perficit, ubi se exerit ingeniorum varietas, quâ quidem celeriùs, profundiùs has vel illas rerum series percurrunt.

5. *Fabrica tabularum* proportionaliter respondet inductioni, adeoque quò illa est perfectior & ordinatior, eò quoque sunt tabulę perfectiores, & ordinatiores.

Inductio autem vel antecedit paritque tabulas, vel eas sequitur, iisque nititur.

6. Universa illa inductio ac structura tabularum nititur panharmoniâ tum rerum tum disciplinarum. Est enim catholica proportio in viis naturæ gratiæ & gloriæ: utque res inter se sunt continuæ vel contiguæ: ita quoque cogitationes esse possunt ac debent; operæ autem pretium est continuâ analysi classicorum authorum hanc imperscrutabilem panharmoniam rerum practicè observare. VII.

7. *Catholica* hæc *inductio* duabus conſtat partibus, deductione, & reductione; quæ praxi diverſâ, diverſo ordine ſunt inſtituendæ: Nam in ſtructura tabularum deductio reductioni, in earum uſu reductio deductioni eſt præmittenda.

8. *Deductio* eſt differentiarum ſeu varietatis rerum apprehenſio; hujus ductu mens diſcurrit per omnes rerum diſciplinarumque circulos, earumque diſſentaneas habitudines obſervat, ubi maximè ſe exerit ingeniorum igneorum agilitas ac ſagacitas: hæc obſervat rerum quaſi ramos & fructus.

9. Deductio illa eſt homogenea per ejuſdem, vel heterogenea per diverſi generis circulos, quæ diligenter urgenda: etenim philoſopho catholico nihil debet eſſe heterogeneum: ſic non rarò ſecreta ſupernaturalia naturalibus, cœleſtia terreſtribus illuſtrantur.

10. Deductio eſt binaria quæ duas, ternaria quæ tres, quaternaria quæ quatuor & ſic deinceps, differentias combinat: quò enim plures conjunguntur differentiæ, eò condunt ſpecialiores, utpote quæ ſe mutuò reſtringuant, quæ quidem combinatio ubique, maximè tamen in orationali diſciplinâ ſummum uſum habet.

11. *Reductio* eſt convenientiæ ſeu unitatis rerum apprehenſio; hujus munitu, ductuque mens diſcurrit per omnes rerum diſciplinarum-

narumque circulos, earumque dissentaneas habitudines observat.

Sit autem hæc reductio Catholica, adeoque terminos maximè inter se dissitos ad unitatem revocat, ubi maximè se exerit melancholicorum ingeniorum fixa profunditas: hæc observat rerum quasi indices ac fontes.

12. Reductio hæc procedit gradatim, adeoque primò terminos ejusdem disciplinæ, tum diversarum disciplinarum ad communes fontes revocat: unde in homogeneam & heterogeneam dividi potest. Etenim Philosopho Catholico nulli termini tam alieni inter se debent esse, quin eos ad veras ac practicas concordantias revocare queat, sic varia est inter Theologica & Philosophica, inter Juridica & Medica Harmonia.

13. Reductio illa vel est terminorum singulorum vel plurium: eaque binaria quâ duorum, ternaria quâ trium, quaternaria quâ quatuor, & sic deinceps terminorum convenientia observatur: quò autem plures junguntur termini, eò reductio vadit altior ac generalior, cùm convenientiæ rerum se mutuò abstrahant, i. e. à specialibus determinationibus liberet: hic operæ pretium est observare voces generales sese per varias disciplinas spargentes, easque habere in promptu: illæ quippe sunt indices & quasi obsides unitatis naturæ.

14.

14. *Reductio* maximè facit ad invenienda definitionum genera: Nam ut hæc convenientiæ, ità illa differentiæ seu disconvenientiæ habet symbola. Unde sicut datur scala generum generalissimorum, sic datur quoque scala reductionum.

NB. Accurata reductio utitur accuratâ meditatione. Accurata meditatio est resolutio, quâ mens sigillatim cognoscit seu applicat sibi aliquid.

15. Hic se habet fabrica tabularum in genere: Earum usus prorsus est infinitus: sunt enim omnis facilis meditationis, accuratæ intelligentiæ fontes, ac revera omnium mentis humanæ morborum panacea: hinc omnis genesis, omnisque analysis ipsarum beneficio perficitur, & aut hæc, aut nulla est ad solidam eruditionem via.

CAP VI.

De fabrica & usu tabulæ Catholicæ.

I. HActenus de tabulis fundamentalibus in genere; sequitur de iis in specie.

In specie tabula fundamentalis est *Primitiva*, vel *Derivativa.*

II. *Tabula primitiva* est prima, simplicissima, universalissima, adeoque brevissima totius mundi, totiusque Encyclopædiæ repræsentatio:

tio: eam doctrinæ causâ vocabimus Catholicam, videnda ipsius fabrica & usus.

III. De fabrica notentur sequentia.

1. Cùm tabula hæc complectatur terminos omnibus vel saltem plerisque disciplinis communes, opus erit ut inductio ejus genesi inserviens sit omnimode Catholica, secus imperfecta orietur tabula. In primis autem exigatur inductio per disciplinas practicas: ubi notandum terminos primos plerumque explicari ab æqualibus terminis: sic omniscientia probatur ex omnipotentia. Deinde quò termini sunt generaliores, eò esse simpliciores, & quò speciales eò compositiores: hinc individua seu singularia sunt compositissima: unde perfectè definiri difficulter possunt: est enim multiplex combinatio in illis.

2. Catholicam illam inductionem insigniter promovet sylva seu apparatus variorum conjugatorum, i. e. cognatorum terminorum, cùm in eadem tum in diversis linguis: Nam sæpissimè lingua una pulchrum observat terminum generalem quem ignorat altera, ubi excellit lingua Hæbræa.

3. Cùm cognitio humana suam originem ducat à sensibus, plerique termini tabulæ Catholicæ orientur ex terminis physicæ generalis, i. e. ex illis qui prima facillimeque obvia corporum principia & attributa exprimunt: unde sunt ampliandi, i.e. in terminos omni-

omnium entium attributa exprimentes resolvendi. Sic præpositiones quæ sunt notæ primarum habitudinum in omnibus linguis, sumuntur à sitibus corporeis. Unde semper prima origo illarum vocum est distinguenda ex Catholico ipsarum usu.

4. Ut horum terminorum deductio ob maximam generalitatem est facillima: sic distinguenda illorum reductio ob imperscrutabilem immeationem est difficillima.

5. Tabulæ hujus fabricæ plurimùm inservit numerorum, figurarum, literarum occurrentium in natura principiorum ordinata ac in infinitum continuanda progressio, nam ex natura additione multiplicantur & ex mutuâ subductione dividuntur, seu ad primas radices reducuntur termini. In primis hic observetur Architritæ unitatis quædam quasi omnipotentia, quæ omnium numerorum est finis, efficiens, materia ac ideatio, & exemplaris quasi forma, cui respondet primus terminus ens.

6. *Usus* hujus tabulæ plenioris ac ordinatæ est prorsus ineffabilis, quippe quæ sit abacus omnium omnino terminorum, ut compendiosissimus ità accuratissimus, omnis inductionis alphabetum facillimum & generalissimũ: denique simpliciter prima & universalis omnis dissertationis materia: Etenim inter hujus tabulæ polos vertitur omnis humana cogitatio, omnisque mentis discursus: ipsius quippe beneficio

neficio & inveniuntur primæ terminorũ compositiones ac combinationes: adeoq; prima axiomata, syllogismi, methodi: & absolvuntur ultimæ reductiones & resolutiones, adeoque summa de rebus judicia: hinc ea ob miram facilitatem primò omnium pueris & disserendi artis tyronibus propria esse debebat. Tam evidens quippe est terminorum in ipsa contentorum tum convenientiæ tum differentiæ habitudo, ut ipsa tanquam sola omnium specialium terminorum naturam notificet.

Cap. VII.

De fabrica & usu tabulæ prædicamentalis.

I. *Tabula derivativa* est secunda, subalterna, adeoque distinctior totius mundi, totius Encyclopædiæ repræsentatio.

II. Ea est *Prædicamentalis, vel Systematica.*

III. *Tabula prædicamentalis* est omnium subalternorum terminorum per genera & species continua nec interrupta usque ad individua repræsentatio.

IV. Ejus videnda fabrica & usus.

De fabrica notentur sequentia.

1. *Termini subalterni* sunt qui respectu inferiorum sunt genera, respectu superiorum sunt species. Hi vel sunt generaliores, ut substantia,

tia, accidens, pertinentque ad metaphysicam: vel specialiores & pertinent ad certas disciplinas omnes.

Hinc fœlix hujus tabulæ Architectus beneficio artis generalis instituet inductionem catholicam, hinc enim rerum vel disciplinarum orbis corrigendus est ex imperfecta prædicamentali (uti fermè hactenus factum) sed hæc corrigenda & amplificanda ex illis.

2. Neglectus quorundam terminorum subalternorum (in primis fœcundiorum) est variæ ignorantiæ fons variorumque errorum. Sic in physicis occultarum qualitatum opinio oritur vel ex nullâ, vel ex superficiaria quorundam terminorum observatione.

3. *Subalterni termini* nihil sunt aliud quàm globi & glomi, ex congruâ generalissimorum terminorum combinatione orti, unum autem in singulis centrum unitatis, & circonferentia multitudinis, seu relationum se immeantium typus, fructuosè observatur. Unde tabula Prędicamentalis nihil est aliud quàm rerum Catholica & primitiva usque ad individua continuatio: ubi operæ pretium fuerit voces linguæ in qua tabulam extruere cupis, habere in promptu, quo earum significationum generalium complicationem ac texturam possis exprimere.

4. Idque ut in omnibus disciplinis est utile & necessarium, ità maximè in physicis, quia

quia plerique termini physici latini in primis & communiores obiter sunt inventi, satisque confusè usurpati, unde rarò ipsorum convenientia convenientiam, differentia differentiam rerum dextrè indicat.

5. Hinc quoque terminorum physicorum fundamentalis reductio est difficillima, idque partim ob confusam ipsorum inventionem & usurpationem, partim ob mirificè specificantem immeationem; unicum remedium est eos accuratâ collatione resolvere in terminos primos, eorumque combinationem vocis sed congruentioribus vocabulis exprimere: quod artificium plurimum juvat linguæ Hæbraicæ profunditas.

6. *Generum & specierum continuatio* nihil est aliud quàm concordantiarum, & differentiarum artificiosa subordinatio. Unde non solùm genera generibus, sed etiam differentiæ differentiis ità subordinandæ sunt, ut omnia & singula tandem in primos terminos resolvi facile & fructuosè queant.

7. Hæc autem subordinatio sit continua quæ non faciat saltum, sed catenatos naturæ gradus accuratè quoad fieri potest exprimat: adeoque intermedia plerumque anonyma genera diligenter observet. Ita tamen ne infinitis parumque scientificis subdivisionibus rerum naturam ac discentium ingenia perturbet.

8. *Ta-*

8. *Tabulæ prædicamentalis* partes duæ sunt:

Substantialis & Accidentialis. Illa substantias seu fundamenta; hæc accidentia seu ipsarum instrumenta & ornamenta repræsentat: ubi præcipua difficultas occurrit in accurata naturalium subordinatione, quorum veræ ac physicæ differentiæ ab ipsorum partibus, facultatibus ac operationibus, iisque accuratè inter se collatis sumendæ sunt. Ubi nota tabulam substantiarum esse basin, normam ac metam accidentium.

9. *Accidentium* quæ nihil sunt aliud quàm substantiarum modi & gradus, tabulæ omnium commodissimè ordinantur juxta seriem substantiarum: ità ut earum quantitates & qualitates, tum relationes, atque illinc resultantes actiones & passiones generatim & speciatim observentur. Accidentium quippe distributio optimè à subjectorum & causarum distributione petitur.

Quamvis autem mens humana in hoc statu ea laboret imperfectione, ut res omnes immediatè ac adæquatè nec exprimere nec concipere possit: Deus ipsam hâc perfectione ditavit, ut sibi instrumenta fabricarit, eorumque beneficio res omnes partim analogiæ, partim portionis esse, fructuosè intelligere queat: haud præter rem erit, si in ipsa tabula Catholica entis attributa ad prædicamenta reducantur.

X. In-

10. *Individua* cum sola subsistant, erunt utique omnium generalium basis, exempla & scopi. Itaque non solùm generalia in ipsis fundari, sed & per ea deduci, ac quasi animari ac vegetari debent: hinc tanta exemplorum vis. Itaque intelligendum non tantum de individuis incorruptibilibus, ut Deo, Sole, Lunâ, Terrâ; sed & corruptibilibus Unde è re fuerit, singulis prædicamentis nobilissima sui generis individua subjicere, ut fructuosissimum sapientiæ ac prudentiæ oriatur connubium, suntque Catholicæ inductionis quasi obsides.

V. *Usus* Tabulæ prædicamentalis juxta præcedentia præcepta fabricatæ est longe nobilissimus.

Quemadmodum enim tabula Catholica rerum omnium convenientiam, ita hæc differentiam fructuosissimè proponit: utque illa rerum radices colligit, ità hæc per circonstantiam distribuit. Hinc Catholicum mentis ascensum & descensum, adeoque terminorum combinationem insigniter juvat, dum qui conjungit seu affirmat, quique disjungit seu negat, ac utriusque combinationis modum & gradum vel solo aspectu docet & monstrat. Hic verò usus tum reductionis tum deductionis vel est regularis seu analogus, vel irregularis seu anomalus: isque vel Ellipticus in entibus imperfectis, putà partibus, & privationibus: vel Pleonasticus in entibus perfectis adæquatam hominum

minum cognitionem ſuperantibus: itemque in entibus varie compoſitis, putà concretis & collectivis, vel denique Enallacticus in tranſcendentibus & entibus rationis.

C A P. VIII.

De fabrica & uſu Tabulæ Syſtematicæ.

I. T*Abula ſyſtematica* eſt omnium ſcibilium ſibi ſubordinatorum methodica cordinatio.

II. Ejus videnda *fabrica & uſus.*

De fabrica notentur ſequentia.

1. *Termini ſcibiles* ſunt omnes illi quorum cognitio hominem, adeoque ſpirituales, corporeas vel mixtas facultates perficere poteſt. Itaque non ſolùm inſtituenda eſt inductio per artes liberales, ac non modò jam inventas, ſed & inveniendas. Uno verbo, nihil vel in naturæ vel in humanarum rerum orbe reperiri debet, quin ad ſuam diſciplinam tanquam ad claſſem revocetur. Hic ſe maximè exerit collativa deductio.

2. Horum terminorum ſubalternatio debet eſſe omnimoda, ita ut non ſolum themata thematibus, ſed & argumenta argumentis ſubordinentur. In Theoreticis, ſubjecta ſubjectis, principia principiis, affectiones affectionibus, partes

partes partibus, in Energicis ſubjecta ſubjectis, fines finibus, media mediis debent reſpondere perpendiculariter; hinc ſe maximè exerit collativa reductio.

3. *Terminorum ſcibilium coordinatio* eſt reciprocorum inter ſe collateralis poſitio: unde generum & ſpecierum perpendicularem ſubordinationem præſupponit, iiſque alia præterea argumenta, nimirum principia & attributa è regione addit. Eſt itaque Combinata ac fructuoſa per crucem repræſentatio.

4. *Methodica ſcibilium terminorum combinatio* eſt qua omnes & ſoli homogenei termini, intelligentiæ, memoriæ ac praxi congruentiſſimè ordinantur. Homogenei ſunt qui circa idem thema, objectum ſcilicet aut finem proportionali modo verſantur, omnes ordinantur, ſicut nihil omittatur, nihil immiſceatur niſi congruentiſſimè, ſi nec otioſa repetitio, nec odioſus hiatus, nec incongrua permutatio admittatur, quod fit ſi generaliſſima primò, ſubalterna ſecundò, ſpecialiſſima ultimò traduntur.

III. *Vſus* hujus tabulæ artificioſe fabricatæ planè eſt infinitus. Etenim & diſtinctam reductionem & plenam deductionem conſummat, unoque aſpectu rerum omnium tum convenientiam tum differentiam repræſentat. Unde manifeſtè liquet & ſingulorum compendium, & omnium ſimul junctorum ſeu Encyclo-

clopædiæ immensa utilitas. Est enim infinitæ mixtionis seu combinationis terminorum materia, norma, & colophon, seu complementum. Hîc nota quæ disciplina definit vocem, eò pertinet vox seu res, diversæ tamen disciplinæ possunt agere de eadem re, sed diverso modo.

CAP. IX.

De conjuncto horisticorum seu definientium instrumentorum usu.

I. SIc fuit instrumentorum horisticorum (sed ad definiendum necessariorum) apparatus, sequitur conjunctus eorum usus, de quo notentur hæc sequentia.

I, *Usus instrumentorum* prærequirit ipsorum possessionem, neque enim instrumento quo caremus, uti possemus; quare necessum est, ut definiturus sibi cum generalium artium tum tabularum apparatum reddat quàm familiarissimum, ut mens ipsarum terminos non secus ac alphabeti, sibi quàm celerrimè possit objicere.

II. Usus instrumentorum est ipsorum possessioni seu solidæ intelligentiæ, feliciquе reminiscentiæ proportionalis: Nimirum prout quisque sibi ea instrumenta ratione & modi & gradus, perfectius aut imperfectius, ordinatius aut confusius comparaverit, ità etiam ex eis

uti poterit: hinc datur paucis iis fœliciter uti, cùm pauciſſimi ea ſibi accuratè impreſſerunt.

III. *Apparatus inſtrumentorum* definitur, vel ab aliquo datur jam inventus, vel ipſimet inveniendus relinquitur: Illud docti fideliſque præceptoris; hoc induſtrii diſcipuli eſt officium. Si detur maximo difficilimoque labore levatur diſcipulus, nihil aliud debet agere, quàm ut per collativam inductionem datum apparatum examinet, ſcilicet num experientiæ, rerum naturæ, & ſcripturæ ſit conſentaneus. Nonenim ſimpliciter ipſi fidem habere debet, ſic enim opus hominis haberet, ac judicaret opera Dei, ſed tum demum cum omnimodam eorum convenientiam obſervaverit.

IV. Si verò non detur apparatus ille, definiturum oportet ut juxta præcepta ſuperiorum capitum eum comparet, in primis ut ex primorum & cuique homini non plane inſano obviorum terminorum combinatorum, tabularum, nominatim catholicæ, elementa quædam concipiat ac formet. Cùm in tantâ ſcientiarum luce nulla vel diſciplina vel tabula ſit, quin inſignia quædam ejus principia ab auctoribus ſuggerantur. Definiturus diſcipulus inchoata potius examinabit, continuabit, ac conſummabit, quàm à primis fundamentis inchoabit.

V. *Vſus illorum inſtrumentorum* eſt communis

nis vel specialis. Communis est quando omnis omnino reductio ac deductio, adeoque omnis omnino mentis humanæ per universam Encyclopædiam operatio ipsorum beneficio inchoatur, continuatur ac consummatur. Ubi quoque subintelligenda est ars memoriæ, scilicet ars imprimendi, retinendi ac reminiscendi.

VI. *Usus specialis* est cum certis mentis operationibus prædicta instrumenta applicantur. Is variat pro varietate disciplinarum: Nos hic respicimus varietatem logicam quâ ratione est thematicus, topicus, axiomaticus, syllogisticus, & Methodicus: quibus omissis, jam tantum tractabimus usum horisticum seu definitionum.

VII. *Usus definitivus* est quò definitionum Genesis & Analysis instituitur, quæ duæ praxes se mutuò insigniter notificant: illa dicitur definitionum inventio, hæc examinatio & dijudicatio.

VIII. *Definitionum inventio* est qua mens termini definiendi reductione & deductione juxta regulas horisticas instituenda, genus ac differentiam ejus investigat.

IX. Investigatio illa consideratur vel ratione progressus, vel ratione applicationis & usus: ratione progressus est duplex, fit enim via resolutiva & compositiva.

X. *Via resolutiva est*, qua termino defi-

niendo ad summa singularum tabularum genera reducto ipsamet genera inter se tandiu intercombinata restringuuntur, donec combinatio sit definiendo adæquata; hæc descendit à superioribus ad inferiora, ab unitate ad multitudinem, estque facilior.

XI. *Via compositiva* est qua termino definiendo cum infimis singularum tabularum speciebus collato genera tam diu abstrahuntur; donec utraque inter se juncta definiendo sint adæquata: hæc ascendit ab inferioribus ad superiora: à multitudine ad unitatem: estque difficilior, sed severior.

XII. Investigatio definitiva ratione applicationis vel investigat cogitationes seu conceptus, vel verba quibus definiti conceptus exprimuntur.

XIII. Investigationem conceptuum mirificè juvat collatio termini definiendi cum generalibus tabulis, & applicatio conjugatorum tam barbarorum quàm purorum tam termino definiendo propinquiorum quàm propriorum. Vix enim reperitur qui duobus tribus barbaris conjugatis inter se sumptis definiri nequeat.

XIV. Investigationem verborum definitivos conceptus exprimentium insigniter juvat tabula generum ac differentiarum in plerisque disciplinis occurrentium. Itaque diligenter percurrantur lexica, ac observentur

ter-

termini recepti & populares generaliores: si non occurrant in lingua latina aut vernacula, in auxilium vocetur græca; quin & vocabula, rerumque verborumque analogia observata, excogitentur: ità prius colligatur sylva vocabulorum horisticorum in illâ disciplinâ, quam præ cæteris excolis.

XV. *Definitionum examinatio* est quâ mens definitionem datam ad præcepta supra posita explorat, singulorumque terminorum reductione & deductione ipsius congruentiam vel incongruentiam experitur. Ab hac incipiat, sicque ordinatio mentis processui assuescat, ac tandem classicorum authorum inprimis scriptorum Platonis, Aristotelis, Galeni similiumque artificium imitetur. Incipiat autem ab examinatione generis, ac pergat ad examinatiotionem differentiæ.

XVI. Quoniam definitio est congruentissima rei applicatio: utique in se omnes terminos simplices, seu omnia argumenta implicitè complectitur. Unde accurata genesis & analysis horistica includit ac præsupponit accuratam genesim & analysim topicam, estque ejus compendium & colophon.

CATHOLICI DEFINIENDI ARTIFICII

LIBER SECUNDUS.

De parte ejus speciali.

CAPUT I.

De varietate definitionum orta ex varietate rerum definiendarum.

I. Sic fuit pars *definiendi artificii generalis*, sequitur *specialis*, quæ definitionum varietates edisserit; iisque generalia præcepta prudenter explicat.

II. Illa rectè dividitur in *specialiorem* & *specialissimam*. Pars specialis est quæ præponit præcepta omnibus vel saltem plerisque disciplinis communia.

III. *Præcepta* illa agunt de primis & communibus definitionum varietatibus.

IV. *Va-*

IV. *Varietates definitionum primæ* oriuntur vel ex parte rerum definiendarum: vel ex parte artificum definientium: vel ex parte modi definiendi.

V. Varietatem rerum definiendarum repræsentat tabula thematica, quæ logicam ipsarum differentiam, logicumque terminorum simplicium horisticorum delectum docet, cùm omnes loci inventionis sint explicativi, definitio verò sit perfectissima explicatio, utique quilibet locus inventionis habebit aliquam definiendi vim: verum cum quidam loci inventionis cæteros compendiosè complectant, præterea non omnibus thematibus, ob illorum perfectionem aut imperfectionem conveniunt, operæ pretium est certis thematibus certos locos definitivos prudenter applicare.

VI. *Tabula thematica* præmittenda est doctrinæ de inventione generum & specierum, quæ sequentibus aphorismis explicatur.

1. Etsi transcendentia genera differentias strictè dictas non habeant, attamen mens humana genera iis artificiosa, quæ sunt pura entia rationis attribuit, ut se eò meliùs in ipsarum investigatione promoveat. Sic ens dicitur transcendens, essentia, principium, modus, affectio, & sic deinceps, quâ reflectione, eas mens felicius concipit & exprimit.

2. Radicaliter omnia omnino genera,

 omnes-

omnesque differentiæ oriuntur ex his primis duabus simplicibusque vocibus, *Entitas* & *non Entitas*.

Entitas si quidem seu *est*, est vox sua natura tam clara ut à priori explicari non possit nec debeat, licet à posteriori possit illustrari. Ita igitur voce definitio realis coincidit cum definitione verbali, in eamque resolvendi sunt omnes omnium entium modi, gradus, adeoque omnia vocabula categorematica & syncategorematica, in primis adverbia, præpositiones & conjunctiones generalissimæ.

3. Non solùm termini positivi, sed & non positivi, videlicet negativi: privativi suppeditant genera & differentias, idque in artibus negativis & privativis necessariò, in positivis vel ob rerum definiendarum perfectionem aut imperfectionem: vel ob imperfectionem definientis: quare diligenter conferatur tabula terminorum positivorum, eorumque mutua immeatio ac permutatio observetur accuratè.

4. *Artificiosa conjugatorum*, sed sese immeans subordinatio ac coordinatio plurimum juvat inventionem generum & differentiarum, nimirum abstracta sunt revocanda ad abstracta, concreta ad concreta, activa ad activa, passiva ad passiva, modi ad modos, sicque substantivorum, adjectivorum, verborum & adverbiorum harmonia observanda.

5. Pro-

5. Proxima in se complectuntur remota, sicque genus proximum præsupponit omnia genera præcedentia: & differentia proxima seu adæquata in se continet omnes remotas seu inadæquatas: hinc fluit artificium inveniendi definitiones breves ac nervosas.

6. Facilior est alienorum falsorumque generum & differentiarum remotio, quam verorum inventio. Facilius quippe cognoscitur quid non sit res quàm quid sit, idque ob argumentorum dissentaneorum evidentiam: definiturus itaque incipiat ab alienorum rejectione progrediendo per omnes tabulas horisticas.

7. Inventio generum juvat inventionem differentiarum, & inventio differentiarum juvat inventionem generum. Genera quippe subalterna sunt magis minusve ex differentiis complicata: hinc mutuas sibi porrigunt manus, artificium definiendi & distribuendi, soloque rationis usu differunt: Ubi accuratissimè notandum est esse quasdam differentias communes se se immeantes, quæ varia rerum genera penetrant ac subdividunt: tales sunt pleræque divisiones tabulæ Catholicæ, specialibus terminis ac disciplinis diligentissimè applicandæ, ut perfectum vel imperfectum, completum vel incompletum: hinc substantia completa vel incompleta, mixtum perfectè vel imperfectè animal, numerus, modus, virtus,

virtus, justitia, cognitio, contractus, processus, cura, concoctio, purgatio, nutritio, deauratio &c.

8. Combinata ac continuata generum & differentiarum inventio, solâ ratione ac usu differt à structurâ tabulæ prædicamentalis: Ea siquidem nihil est aliud quàm omnium generum ac specierum seu differentiarum quâ perpendicularis, quâ parallela concatenatio: unde dum genera ac differentias investigabimus, pedetentim ipsammet tabulam prædicamentalem conficiemus.

9. In utriusque inventione omnimoda requiritur collatio, i. e. reductio & deductio: illius tamen vis magis se exerit in generum, hujus in differentiarum investigatione.

10. *Nomen substantivum* quod propriè de alio in nominativo casu affirmari potest, hujus est genus: loco nominis substantivi aliquando ponitur infinitivus: vel adjectivum substantive sumptum. Itaque nec causa nec effectus, nec substantivum, nec adjectivum, nec dissentaneum ullum, nec comparatum; nec solum essentiale, nec integrale, nec denique pars potest esse sui correlati genus: genus inquam propriè dictum, nam thematis simile metaphoricè potest esse genus.

11. *Nomen adjectivum* quod alicui nomini substantivo intimum est ac proprium, est ejus differentia: prout autem intimiori & magis

con-

consentaneo argumento fundatur, eò erit perfectior: sic differentia ac forma differentiæ, à materiâ differentiæ, ab adjunctis intrinsecis differentiæ, ab effectis intrinsecis, præferenda est.

Solent autem illa adjectiva obliquis substantiarum verbis, adverbiis, ac præpositionibus, plerumque compensari.

12. Omnis differentia proximè sumitur à forma rei si eam propriè vel analogicè habeat. Alterutrum si desit forma potest in omni themate compensari adjunctis & effectis ejus reciprocis. Adjuncta & effecta rei cujusque inveniuntur si ipsa tantùm primò collocentur in circulo tabulæ catholicæ, iique generales termini juxta conjugatorum varietatem applicentur: his applicatis denuò per circulum specialem, in primis substantivorum deducantur: ubi observandum utraque scilicet tam effecta quàm adjuncta esse consentanea vel dissentanea, adeoque positiva vel negativa: non raro præsertim in thematibus subtilioribus accidit ut habitudines in se & ratione fundamenti, objecti ac significati positivè exprimantur vocibus ratione conceptus: ratione formalis ac modi significandi negativis, cujus permutationis congruè genesis, analysis, magnum habet in profundioribus meditationibus usum.

13. Sequitur ipsamet tabula thematica quæ repræsentat thematum differentias.

14. *Differentiæ thematum sunt generales vel speciales*: illæ sunt quæ se immeant, id est mutuò explicant & multiplicant, adeoque subdividunt, unde & cum seipsis & cum specialibus sunt combinandæ, totiesque illa combinatio repetenda, donec occurrat terminus illius indivisibilis.

15, *Generales illæ differentiæ* sunt tales vel omnimodè respectu omnium disciplinarum, suntque Catholicæ: vel certo modo: sic sunt differentiæ symbioticæ, physicæ, juridicæ &c. quæ sunt observatu dignissimæ.

16. *Differentiæ thematum Catholicæ*, quinque potissimum sunt observandæ: nimirum, thema est positivum vel non positivum: incomplexum vel complexum: totale vel partiale: universale vel singulare: analogum vel anomalum.

17. *Thema positivum* est quod veram seu realem habet essentiam, & attributa ejus omnia: ita quoque ejus genus & differentia possunt esse realia; & ob intellectus nostri imperfectionem possunt quoque esse non positiva.

18. *Thema non positivum* est quod veram seu realem essentiam non habet: Estque purè non positivum, vel non purè non positivum: ibi est ens negativum.

19. *Ens negativum* est quod simpliciter nihil ponit, ut nihil, non substantia, non Deus: Itaque illud per solam mentis inflexionem, com-

comparationem cum positivo intelligitur, & proportionalia ei competunt argumenta & attributa.

Ejus tabula magnum habet usum, sive simpliciter in se consideretur, sive cum tabulâ positivâ conferatur. Nimirum ut tenebrarum & umbrarum consideratione hominis cognitio augetur, sic & hujus tabulæ collatione, positivorum intelligentia promovetur: hinc oriuntur contradicentia: etsi autem omnis contradictio dividat verum à falso, adeoque omnia intelligentibus in duas adæquatas classes dispescat, tamen quò terminus positivus est generalior, eò negativus comprehendit pauciora: Et quò terminus positivus est specialior, eò negativus comprehendit plura: v. g. ens non ens, substantia non substantia: spiritus non spiritus, ubi non spiritus continet omnia non entia, omnia accidentia, omnia corpora.

20. *Ens non purè non positivum* est quod certo modo aliquid negat, & certo modo aliquid ponit: Estque privativum, vel rationis.

21. *Ens privativum* est quod negat aliquid in subjecto proportionali seu habili; hujus tabula est utilissima, imò necessario prorsus, quia omnes omnino disciplinæ versantur in privationibus quibusdam explicandis.

22. *Ens rationis* est quod non realem, sed vi cognoscentis facultatis fictam essentiam habet:

bet: Estque congruum vel incongruum: Illud est cujus fictio scopum, exempla, rem, originemque habet congruam, dicitur ens rationis utile: talia sunt notiones secundæ: figmenta poëtica, ingeniosa & scientifica: huc pertinent somnia, figmenta phantasiæ: hoc cujus fictio aut nullum prorsus aut incongruum fundamentum habet, dicitur ens rationis futile & falsum, quia à quibusdam fatuis habetur pro vero: talia sunt purgatorium, opus superogationis hominis.

23. De his notentur sequentia; 1. Ens positivum est scopus, norma & basis non positivi, ideoq; ejus tractatio, tractationis hujus. 2. Non rarò præsertim in profundioribus cogitationibus fit etiam horum complicatio, quorum resolutio pendet à resolutione complicatorum seu simplicium. 3. Privationis propinqua genera & differentiæ ab habitu & objecto, addito fine si sit privatio perfectiva: Perfectiva privatio est quæ negat imperfectionem: Imperfectiva est quæ negat perfectionem. 4. Ens rationis est entis positivi (nonnunquam negativi & privativi) fictum simulachrum & monimentum: Itaque per illorum varietatem proportionaliter tractandum. 5. Hæc omnia se mutuò notificant, ideoque diligenter inter se sunt conferenda.

24. *Secundo thema est incomplexum vel complexum:* Incomplexum est quod uno mentis con-

conceptu cognoscit, adeoque pertinet ad inventionem. Complexum quod non uno mentis conceptu cognoscitur, adeoque pertinet ad disputationem.

Ubi nota 1. Thema incomplexum & complexum differre sola ratione: nam uni intellectui est complexum, alii potest esse incomplexum: imò quod eidem intellectui hoc modo & tempore est complexum, alio modo & tempore est incomplexum: Nam vi geneseos, & analyseos mens humana potest hæc variare: sic phrasis, propositio, syllogismus integer tractus, potest esse thema incomplexum.

Hoc imprimis observandum est in difficilioribus definitionibus practicis. 2. Pro varietate capacitatis intellectus variat etiam utilitas thematicæ incomplexionis & complexionis: neque enim solùm est critica sed & heuretica complexio seu combinatio. 3. Themata incomplexa sunt normæ, fontes & claves complexorum, adeoque ex iis petendæ horum definitiones & distributiones. 4. In thematibus complexis seu combinatis, videndæ res combinatæ (materiale) combinatio ipsa seu ordo, eiusque modus & gradus (formale) hinc definitio complexorum vel est ex incomplexis deducenda, vel in ea resolvenda.

25. Tertiò *thema est totale vel partiale*; Illud est quod tanquam perfectum, sibique sufficiens: hoc tanquam imperfectum alterius prin-

principium concipitur. Illud est mensura hujus : hujus utpote intrinsecè relativi videnda est habitudo & proportio, tum ad suum totum, tum ad suas ut ita dicam compartes. Si pars sit similaris, habet unicam eamque incomplexam habitudinem. Magno autem cum disciplinarum detrimento, partes tanquam perfectæ definitionis incapaces rejiciuntur, cum pleræque disciplinarum partes in partium cognitione versentur.

26. Quartò. *Thema est universale vel singulare.*

Universale est multiplicabile, nimirum genus & species. Singulare immultiplicabile, scilicet individuum : Illud est primum in ordine doctrinæ tractandæ : hoc in ordine doctrinæ inveniendæ : illud indicat rerum convenientias ; hoc differentias ; unde

Primò. Si themata tàm universalia quam singularia sint æque incognita, facilius fit initium in definitione generalium, tutius accuratiusque ab inductione specialium.

Secundò. Si autem sint omnino incognita beneficio metaphisices & logices, expeditior est via à generalibus. Hinc apud Philosophos plerosque dicuntur notiora naturæ.

Tertiò. Universalia themata saltem accidentalia possunt perfectè definiri, perfectâ definitione etiam vulgari sensu sumpta : singularia non item, quia solus Deus adæquatas ipsorum novit differentias. Quar-

Quartò. *Singularia* sunt definienda ex individuantibus argumentis, mutuâque eorum habitudine. Argumenta individuantia sunt antecedentia, connexa, (ubi circonstantiæ) & consequentia.

Quintò. Utilissima est mutua universalium & singularium inter se collatio, adeoque ut theses deducantur per hypotheses, hypotheses reducantur ad thesim.

27. Quintò & ultimò. *Thema est analogum vel anomalum*: Illud est quod immediate definitionis est capax: hoc est quod mediate aliquo vel aliquibus mentis actibus definitionis est capax. Est Pleonasticum quod subductione: Ellipticum quod additione, vel Analogicum quod proportionali subductione & additione prævià, definiri potest. Primi generis sunt entia concreta, collectiva, complexa, ut propositiones cæterique compositioris modi disserendi: secundi generis sunt partes, omniaque entia incomplexa: tertii generis sunt themata divina transcendentia & non positiva. Thema analogum est mensura thematis anomali, adeoque ejus definitio & distributio est mensura definitionis & distributionis hujus, nimirum servanda est tum rerum tum conceptuum humanorum proportio.

28. Subalternæ thematum differentiæ, putà physicæ generalis, symbioticæ, juridicæ, similesque hauddifficulter observantur, si mutua

tua generalium divisionum, immeatio per specialia exempla illustretur ac deducatur.

29. *Speciales thematum differentiæ* sunt quæ prædicamentorum ac disciplinarum varietatem repræsentant.

Eas adumbrant sequentes aphorismi.

1. *Propinqua substantialis thematis differentia reciproca ac genera* sumantur à proprietatibus (absolutis & relativis) & effectis: hæc quippe anonymarum differentiarum sunt vicaria, ac petuntur ex tabulâ catholicâ & attributis entis.

2. *Spiritualis substantiæ proprietates* commodè revocantur ad intellectum, voluntatem, & potentiam executivam.

3. *Substantia infinita Deus*, definitur ex suis attributis (ubi occurrunt relationes) & operationibus: utræque relationes & operationes sunt essentiales vel personales.

4. Proprietates & effecta angelorum petuntur ab ipsorum respectu ad Deum, se ipsos & corpora, præsertim homines.

5. *Animæ rationalis definitio* tantùm præcedentibus addit relationem ad corpus suum organicum.

6. *Corporis proprietates* revocantur ad quantitatem, qualitatem & corporeas relationes, operationes ad motum: definitur ex materia & forma si cognoscantur: in corpore naturali non rarò proprietates & effecta substituuntur

tur in artificiali utraque exprimenda eſt.

7. *Corporis cœleſtis attributa* ſunt omnium corporum perfectiſſima.

8. *Elementorum habitudo* evolvenda reſpectu cœleſtium, ſui, & mixtorum.

9. *Mixtorum ortus* explicandus eſt ex cauſis, proprietates & effecta ex temperamento. Temperamentum autem eſt certa generalium ac ſenſibilium qualitatum combinatio.

10. *Meteororum principia & attributa* ſuppeditat ipſorum deductio per circulum phyſicum: effectus autem ſunt duplices, phyſici vel morales, qui conſiſtunt in ſignificatione.

11. *Mineralium* uſus ſuggerit deductio per quinque facultates, & quatuor ſtatus vitæ humanæ.

12. *Corporis animati proxima principia* ſunt partes organicæ & ſemina: Plantarum effectus ſeu uſus petitur ex medicina & mechanicis.

13. In animali perpendendus *ſenſus*, *appetitus*, ac *motus*: *Bruti effectus* colligendi ex uſu humano.

14. *Hominis perfectam definitionem* ſuggerit anima rationalis, deſcriptionem infinita ex Encyclopædia petita attributa. Huc pertinet deſcriptio perſonarum humanarum quæ complectuntur individuantia, nativitatis, vitæ, mortis, eaque deducantur per Encyclopædiam & quatuor ſtatus.

15. *Cor-*

15. *Corpus artificiale* definitur ex fabricâ (ubi artifex & artificium, in hoc partes partiumque proportio) & usu seu scopo.

16. *Accidentis* definitio petatur ab origine (causis) sede(subjecto & objecto)& usu (scopo.)

17. *Quantitatis* (adeoque numer, magnitudinis & figuræ quæ est quantitatis modus) differentiam suppeditant termini (partes) eorumque unio & concursus (formale)

18. *Qualitatis* perpendendus ortus (efficiens) & finis status(subjectum & objectum)& usus (effectus.)

19. *Habitus* differentiam indicat subjectum & finis, potentiæ subjectum & effectus: qualitatis patibilis subjectum objectum & finis.

20. *Relationis differentiam* exprimunt correlata (subjecta) fundamentum & terminus (scopus & usus) huc pertinet, ubi, situs, habitus, quæ sunt prædicamenta specialium relationum: item imago & notiones secundæ.

21. *Actionis differentiam* exprimunt subjectum, objectum, & causæ externæ (efficiens & finis:) passionum subjecta & causæ ubi occurrit finis si sint perfectivæ & judiciales.

22. *Ens rationis* pro varietate reductionis definitur instar substantiæ & accidentis.

23. *Privationis differentia* sumitur ab habitu, objecto & efficiente, itemque fine si sit perfectiva: similiter & ens negativum.

24. *Partium differentia* sumitur à toto & attributis.

tributis, scilicet proprietatibus & effectis, quæ exprimunt totius & partium mutuam unionem & communionem.

25. *Entium collectivorum differentiam* indicat materiale (colligenda) formale (collectionis modus & gradus) & causæ (colligentia:) collectivarum substantiarum naturalium modum & gradum suggerit physica (ubi Astronomia, Geographia) & Symbiotica, artificialium præterea mechanica.

Collectiva accidentalia tractantur instar relationum, quò pertinet tempus: moralia combinantur ex personis, rebus & actionibus, iisque junctim & seorsim. Atque hæc tabula jugiter est animanda, ubi nota. 1. Ut inveniantur differentiæ ità & propria genera. 2. Termini definitivi paulò ante recitati occurrunt explicitè vel implicitè: nam omnino vox una sub se complectitur subjectum & objectum, efficientem & finem. 3. Imprimis accurata subalternorum generum inquisitio plurimum facit ad compendiosam & fructuosam definitionum subtilitatem.

CAPUT II.

De varietate definitionum ortâ ex varietate definientium.

I. Ratione artificum definientium definitio invenitur, *Casu* vel *Arte*, casu vel solo quę est

est in oratione perfectissima. Arte vel imperfectâ nimirum illorum qui non nisi logices ac quarumdam disciplinarum specialium cognitionem habent, quales hodierni plerumque esse solent: vel perfectiori scilicet quæ artis catholicæ præceptis ac praxi innixa fermè in omni disciplinarum genere facultatem obtinet, quæ quidem ars catholica proximè ad solidam metaphisicam cum omnibus disciplinis collatam accedit: Ejusque praxis alia est inchoata, quam quilibet solidæ eruditionis cupidus sibi comparare & posset & deberet: vel consummata quæ in hoc disciplinarum præsertim physicarum statu optari potiùs quàm sperari potest.

2. Ratione artificum definitio est in *linguâ* vel *primâ* vel *derivativâ*. Lingua primitiva est *lingua sancta* seu *Hæbræa*, cujus singulæ voces videntur esse accuratissimæ definitiones, nullo quippe defectu, excessu vel confusione laborantes. Linguæ derivativæ sunt cæteræ omnes quæ quò sunt hebraïæ propiores, eò definitionibus accommodatiores.

Alias vel defectu qui sapienti onomatopoiia compensandus: vel excessu qui logica anatome resecandus, vel ambigua confusione, quæ accuratâ distinctione removenda est, laborat. Unde oritur insignis Philologiæ in definitionibus corrigendis permutandisque usus.

CAP.

CAPUT III.

De varietate definitionum orta ex varietate modorum definiendi.

I. VArietas hæc petitur vel à diſciplinis, vel à ſpecialiori & practico objecto.

II. Definitiones modi ſunt generaliores vel ſpecialiores. illæ petuntur ex diſciplinis generalioribus, ſicque definitio eſt *Logica*, *Oratoria*, vel *Poëtica* ſtrictè dicta.

III. *Logica* eſt nervoſiſſima ex intimis argumentis definitio, ejus ſcopus eſt accuratè docere, hicque eſt finis & menſura cæterarum.

IV. Eſt fuſa ex veris & utiliſſimis (& circonſtantiis congruentiſſimis) argumentis definitio.

V. *Poëtica* eſt ingenioſa partim ex veris, partim ex fictis argumentis deſumpta definitio. Huc referuntur hieroglyphica quæ naturalibus & ſimplicioribus, Emblematica quæ tum naturalibus tum artificialibus, ſed compoſitioribus, & typica quæ certo conſilio inſtitutis imaginibus utitur.

VI. Modi ſpecialiores ſunt, quod definitio ſit *Catholica*, *Philoſophica*, *Theologica*, *Juridica*, *Medica*, *Mechanica*: ſingulæ quippe diſciplinæ habent peculiares & ex analyſi obſervandos definiendi modos. Catholica ſit omnium clariſſima, Theologica ſcripturæ, Juridica legum potiſſi-

potiſſimum verbis concepta; Medicina omnium experientia, Mechanica uſu & praxi.

VII. Ratione modi ſpecialioris & practici diviſiones diſciplinarum ratione objectorum notionibus primis expreſſorum; plurimum enim facit tam ad judicia dextra quàm expreſſionis facilitatem, notionum primarum & ſecundarum accurata collocatio, prudenſque permutatio, quæ quidem notiones primæ petuntur ex diſciplinis tum generalibus, Metaphiſica præſertim & ſymbiotica: tum ſpecialioribus ſingulis: Et hic ſe offert confinium quaſi & oſculum Logices & Oratoriæ; itemque diſciplinarum realium.

VIII. Hac ratione definitio eſt *perſonarum* vel *non perſonarum* (generalius rerum:) unde loci logici ſunt *perſonales* vel *reales*. *Definitio perſonarum* dicitur proſopographia, quæ eſt exacta perſonarum deſcriptio: ſumiturque ab individuantibus perſonalibus, adeoque (ut perſonis humanis) ab antecedentibus, connexis & conſequentibus per quatuor ſtatus vitæ humanæ: deſcriptio perſonæ fictæ dicitur *proſopopœia*.

IX. *Deſcriptio non perſonarum* dicitur quæ eſt viva rerum repræſentatio: Eſtque Entium permanentium, ſeu rerum ſtricte dictarum: vel tranſeuntium, actionum putà & paſſionum.

X. Ad res pertinent corpora, eaque naturalia,

ralia, putà cœlestia, Elementa, Meteora, Mineralia & Bruta: vel artificialia: solent autem in artificialibus naturalia tanquam fundamenta præmitti: hic excellit *Topographia* & *Chronographia.*

X I. *Topographia* est descriptio loci, naturalis, ut Paradisi, terræ Canaan: vel artificialis, ut templi Salomonis, Romæ, Arcis, Babel &c.

X I I. *Chronographia* est descriptio temporis, & quidem naturalis, ut diei, mensis: vel moralis seu symbiotici, ut Jubilæi, Paschatis, Ludorumque Olympiacorum.

X I I I. *Res transeuntes* sunt actiones & passiones imprimis collectivæ, eæque naturales vel morales: huc referuntur etiam relationes & qualitates, imprimis virtutes & vitia: in illis omnibus considerari solet congruentia: idque vel communiter, necessitas, & specialiter respectu intellectus veritas & claritas, respectu voluntatis, honestas & amabilitas: respectu facultatis executivæ, utilitas & possibilitas, cujus gradus est facilitas.

In incongruentia similiter est observandum contrarium. Et hi sunt fontes, fines & normæ laudis & vituperii, suasionis & dissuasionis.

Atque hæc sit *Schiagraphia* seu Delineatio generalis & specialis artificii horistici: quod si ab aliquo quotidianâ quâ genesi quâ analysi in succum & sanguinem vertatur, experietur immensum illius usum in tota vita humana.

CA-

ARTIFICII DEFINIENDI CATHOLICI

LIBER TERTIUS.

Lampas catholica, seu præcipuæ definitiones Metaphisicæ ità traditæ ut universæ Encyclopædiæ definitiones eis subordinari debeant & possint, adeoque porismaticè omnes distributiones & axiomata hinc derivari.

I. Ens est id quod est, ejus synonymum est res, & non raro, Aliquid, estque universæ Encyclopædiæ thema.

II. *Non ens*, est quod non est: *Nihil* quod nullo modo est.

III. *Entitas* est quâ ens est, seu quæ in ente est.

IV. Essentia est entitas per quam est ens: seu est quasi primum entis ejusque attributorum,

rum ,

rum, affectionum scilicet & operationum principium: hinc immutabilis est proportio inter ens, ejus essentiam, essentialesque proprietates & operationes.

V. *Natura* est essentia operativa seu activa: hinc nullum ens otiosum, sed pręstat sui usum, seu est operativum.

VI. *Quidditas* est essentia cognita, hinc bene ens in quantum cognoscibile est, in scholis utitur ratio formalis, seu conceptus proximè essentiam attingens.

VII. *Forma* (totius seu metaphysicè sumpta) est essentia constitutiva, distinctiva & operativa, seu est natura quidditativa: hinc nullum est confusum in se, perfectaque cognitio est cognitio formalis.

VIII. *Modus* est entitas quæ per essentiam est cum ente, & per quam ens est aliquid; seu est attributum entis essentiam sequens, quo ens respicit ens, hinc dicitur habitudo, oriunturque verba, *habere*, *respicere*, *referre*: hinc suus cuique rei modus est, utique nullum est ens sine modis, sic nec sine iis cognoscitur. Hinc humanæ cognitionis fundamentum est collatio.

Hinc interim nullum ens tam est absolutum, quin saltem transcendentalem includat habitudinem seu respectum. Est autem modus intrinsecus ab essentia per se: vel extrinsecus etiam ab entis ad percipientem habitudine resultans:

ſultans: dicitur extrinſeca denominatio: ſic Deus manſiſſet immutabilis, ſive creaſſet, ſive non creaſſet mundum.

Ex modo oritur denominatio, qualitas, & talis: itemque quæſtio, quomodo.

IX. *Convenientia* eſt entis habitudo, quâ ens eſt ut ens, ſunt autem omnia entia harmonica, quamvis ſint varii convenientiæ gradus.

X. *Diſconvenientia* eſt entis habitudo, quâ ens non eſt ut ens: Ens diſconveniens uno, poteſt eſſe conveniens alio modo: quin omnis realis diſconvenientia fundatur in aliqua convenientia. Hinc in ente primo utraque occurrit perfectiſſimè, atque ab ipſo derivatur in omnia entia.

XI. *Congruentia* eſt debita entium convenientia, ſeu eſt talis convenientia, cum quâ entia eſſe poſſunt. Incongruentia eſt diſconvenientia indebita, ſeu eſt talis inconvenientia, cum quâ entia eſſe non poſſunt: hinc omne ens practicum ſit congruum, ens verò incongruum non ſit.

XII. *Vnio* ſeu communicatio (communio) eſt convenientia entis quâ ens eſt cum ente.

XIII. *Potentia* eſt modus entis per quem eſt communicatio. Omnis potentia eſt propter actum: omniſque actus eſt proportionalis potentiæ.

XIV. *Actio* (operatio) eſt communicatio entis, quâ ab illo quædam entitas eſt, ſeu eſt

entitatis datio: quidquid est operatur, & quidquid operatur quatenus operatur, est.

X V. *Passio* est modus entis, quo ipsum est ab ente, seu est entitatis acceptio. Actio & passio sunt relativa, seque mutuò ponunt & tollunt, suntque inter se maximè proportionalia. Falsum autem est omnem passionem seu acceptionem dicere imperfectionem. Atque hinc oritur inexplicabilis rerum communicatio seu communio.

X V I. *Productio activa* est essentiæ datio: passiva est ejusdem acceptio: hinc productum necessario distinguitur à producente.

X V I I. *Destructio* (corruptio) est habitudo entis, quâ quod fuit, non est: hinc quod tantùm est, destrui nequit, quodque destrui potest id necessario est ex ente & non ente compositum: item quod rem plane destruere potest, id debet habere omnimodam potentiam.

X V I I I. *Potentia activa* est vis dandi seu communicandi: passiva est modus per quem ens est communicationis capax, seu est vis recipiendi. Hæ sunt proportionales tum entibus, tum inter se: omnis quippe potentia passiva fundatur in activa: hinc nihil potest dare quod non habet, eodem æquipollenti vel nobiliori modo. Atque negatâ potentiâ, necessariò negatur actus, sed non vicissim. Et posito actu, ponitur potentia, sed non vicissim.

Ex principiis hactenus positis oritur indisso-

lubilis conjugatorum in quolibet proportio: quæ si sarta tecta servetur convenientia & differentia, infinitus ipsorum est in ratiocinando usus.

XIX. *Unitas* est convenientia entis cum se ipso, seu est modus entis per quem ens est indivisum in se, & divisum à quocunque alio. Hæc est radix, mensura & scopus omnis congruæ multitudinis. Hinc omnis multitudo revocari potest & debet ad unitatem.

Paucitas est multitudinis absentia, seu est modus quo non sunt multæ differentiæ. Non omnis multitudo seu varietas oritur ex imperfectione, sed quædam ex perfectione, eaque activa & eminens, unde congrua varietas est decus regni naturæ, gratiæ & gloriæ.

XX. *Possibilitas entis transcendentis* est ejus non disconvenientia cum essentia ac essentialibus: vocatur potentia objectiva. Impossibilitas transcendentalis est entis cum se ipso, adeoque cum essentia & essentialibus repugnantia: hæc est contradictio implicita, omnisque absurditatis mater.

XXI. *Differentia* seu distinctio est disconvenientia, quâ una entitas non est alia: hæc oritur vel ratione distinguentis, vel ratione rerum distinguendarum, vel ratione modi distinguendi: Estque convenientiæ fructus: unde idem est principium essentiæ, distinctionis, emanantisque operationis.

XXII.

XXII. *Gradus* est modus entis distinctivus, seu modus entis per quem unum ens non est tantum quantum alterum est. Hinc oritur comparatio, in quantitate scilicet Logica & transcendentali.

XXIII. *Identitas* est convenientia omnimoda, seu modus quo entitas nihil differt ab ente, adeoque est entis à se ipso indistinctivitas, seu indistinctio.

XXIV. *Paritas* est graduum identitas: imparitas est eorundem differentia.

XXV. *Similitudo* est modorum identitas seu convenientia. Dissimilitudo est eorundem diversitas. Hinc oritur comparatio in qualitate, Logica scilicet & transcendentali, quæ vagatur per omnes terminos. Atque hinc oritur duplex status quâ omne ens expenditur per *est* vel *non est*, per, *tantum*, vel *non tantum*, per *tale*, vel *non tale*.

XXVI. *Status* est differentium modorum convenientia: commodè explicatur per situm corporeum: unde una eademque res pro diverso statu habet communionem & unionem diversam, unde oritur immeatio.

XXVII. *Multitudo* (non transcendentalis) est differentiarum differentia, seu est differentia varia & continuata. Hujus oppositionum est paucitas superius infra terminum unitatis mox definita.

XXVIII. *Magnitudo* (Transcendentalis)

est modus,quo ens se habet seu refert ad multa. Parvitas est modus entis, quo ens se habet ad pauca. In natura est exactissima proportio, quâ magna compensantur parvis, & vicissim.

XXIX. *Additio* est plurium unió. Subductio est unius ab altero remotio seu disunio. Mirabilis oritur per mutuam additionem & subductionem rerum in universa Encyclopædia Algebra.

XXX. *Immeatio* generalissimè sumpta est plurimarum unionum ac communionum unio seu conjunctio: hæc utramque facit paginem in universa Encyclopædiâ, adeoque per omnes disciplinas accuratè est deducenda: Est enim vera clavis Analytica, veraque omnium genesеum janua.

XXXI. *Existentia* est modus seu status entis, per quem ens est tale & tantum: seu est certus modorum graduumque concursus: hæc non differt re sed ratione ab essentiâ: ratione ratiocinante in Deo, ratiocinatâ in creaturis: huc pertinent circonstantiæ: atque hinc oritur duplex congruentiæ mensura: una principalis ratione essentiæ, altera minus principalis ratione existentiæ: itemque utilis distinctio quâ res consideratur ratione utriusque: illam considerat sapientia, hanc prudentia.

XXXII. *Præsentia* est entium coexistentia.

Absentia est existentia unius sine alio.

Assi-

Assistentia est coexistentia operativa seu efficax: unde quot sunt modi existentiæ, tot possunt esse modi præsentiæ, absentiæque per omnia prædicamenta: requirit autem omnis operatio ut agens sit præsens patienti, adeoque contactus inter agens & patiens, vel essentialis seu immediatus: vel virtualis seu mediatus. Atque hic se exerunt fontes qualitatum occultarum, seu sympathiarum & antipathiarum, quarum rationes ideò potissimum videntur inexplicabiles, quod subtilis naturæ concatenatio non animadvertatur.

XXXIII. *Proportio* est congruentia entium ratione modorum & graduum: hæc ut est universæ naturæ nexus, ita est omnis praxeos, nimirum honestatis & utilitatis mensura & basis.

XXXIV. *Ens prototypum* (mensura) est cui aliud debet congruere, conformari seu proportionale esse. Ens Ectypum (mensuratum) est quod debet alii congruere, conformari seu proportionale esse. Horum proportio est cynosura omnis praxeos: nimirum tum actionis, tum effectionis: Entia si quidem secunda & producta debent imitari naturalia, omnis quippe ars consistit in proportionali agentium & patientium unione & communione: quod tam in liberalibus quàm in illiberalibus obtinet.

XXXV. *Veritas* est congruentia entis cum intellectu suo. Falsitas est incongruentia entis

cum intellectu suo: Intellectus suus est intellectus mensurans: unde rerum naturalium & supernaturalium intellectus suus tantùm est divinus. Artificialium potest etiam esse artificis. Itaque omne ens quâ tale verum est, utpote producens & productum, & quia quæ in uno tertio conveniunt, ea inter se conveniunt, omnes autem veritates conveniunt in intellectu primo, necessum est ut conveniant inter se, adeoque verum, vero: unde resultat Encyclopædiæ (disciplinarum omnium) pancharmonia, quâ quod in una est verum, non potest esse falsum in alia: hinc perpetua disciplinarum analogia (quam Theologi fidei & charitatis analogiam vocant) est certissimi judicii seu analyseos magistra.

XXXVI. *Intellectus* est spiritualis, adeoque vitalis facultas, quæ potest immanentem habere entis similitudinem, seu est spiritualis cognoscendi vis: spiritualis vis est, quia ens primum necessariò est indivisibile adeoque spirituale: Est vitalis quia spiritus necessario habet intrinsecum agendi principium & modum: dicimus similitudinem immanentem, quia similitudo extrinseca non sufficit. Est autem intellectus vel primus qui emittit similitudinem, vel à primo, seu secundus, qui recipit: hinc in omni intellectione necessariò est verbum.

XXXVII. *Percipere* est intrinsecam similitu-

litudinem seu habitudinem rerum habitudini proportionalem efficaciter in se habere, seu est intrinseca quædam conformitas & quasi configuratio. Perceptivitas est substantiæ habitudo, quæ intrinsecam entis similitudinem producere potest: utramque competere omni substantiæ, hanc verò omni enti evincit panharmonia & Catholica rerum communicatio. Omnia quippe congrua saltem aliquo modo sunt inter se unibilia: omnia autem unibilia inter se sunt quoque communicabilia & vicissim, & omnia entia congruunt inter se. Itaque omnis perceptio necessariò est proportionalis tum percipienti, tum percipiendo, tum mutuæ ipsorum habitudini, v. g. in corporibus & duratione. Atque hinc oritur nexus rerum tum spiritualium inter se, tum corporalium, tum denique spiritualium & corporalium.

XXXVIII. *Perceptio* est vitalis, vel non vitalis. Illa dicitur cognitio. Cognitio est vitalis perceptio, quâ percipiens etiam vi suæ similitudinem in se habet; eique se unit. Unde oritur repræsentatio. Itaque in omni cognitione requiritur ex parte cognoscentis, vis intime aliquid assimilandi, i. e. facultas vel similitudinis suæ in se producendæ, vel alterius in se recipiendæ: ubi prima similitudo vocatur idea: Ex parte cogniti, aptitudo, quâ sui similitudo haberi possit. Denique ex parte cognitionis utriusque, unio & verbum. Inter

quæ omnia perpetua quidem proportio, interim unius defectus poteſt compenſari alterius exceſſu.

XXXIX. *Vis cognoſcendi* eſt vel perfecta in ſe: vel fit perfecta aut lumine aut diſpoſitione aliquà, habitu putà ſuperaddito.

XL. Rei cognoſcendæ ineſt aptitudo illa vel immediatè ſi aliquid cognoſcatur per eſſentiam: vel mediatè, mediante ſcilicet ſpecie intelligibili.

XLI. *Species intelligibilis* ſeu cognoſcibilis eſt imago rei cognoſcendæ cognoſcenti facultati impreſſa, ut ſit cognitionis principium. Imago eſt ſimilitudo rei ab ipſamet re producta. Imago cognoſcibilis ſemper producitur à cognoſcente ex re cognoſcenda. Imago impreſſa eſt quæ oritur à re cognoſcenda. Imago expreſſa eſt quæ oritur à cognoſcente. Illa ſe tenet ex parte rei cognoſcendæ, hæc ex parte cognoſcentis. Uſus enim rationis vel conſiſtit in ſpecierum exceptione, vel in ſpecierum productione, ſpecies illæ ſunt inſtar ſeminum cognitionis.

XLII. *Verbum* eſt imago rei cognitæ à cognoſcente ex cognoſcibili ſpecie expreſſa, ut ſit internus cognitionis terminus. Hinc nullum verbum eſſe poteſt quin ſit per cognitionem. Unde cognoſcibilis ſpecies eſt ſemen, verbum eſt fructus productus ex illo ſemine: Ergo verbum eſt neceſſarium in omni cogni-

tione

tione, secus cognitio nec actio, utpote carens termino; nec immanens actio, ut pote habens terminum in alio, nec vitalis actio foret, quippe nuda receptio, non verò efficax esset, necessarium inquam in omni completa cognitione, licet non requiratur novum in omni cognoscente: Agitatio dicitur ut ostendatur vitalis.

XLIII. *Perceptio non vitalis* est quâ percipiens quidem similitudinem in se habet, eamque reflectit, seu aliquam modificatam similitudinem ex se emittit, sed novam non producit: hoc sensu est perceptiva quælibet substantia etiam inanimata & simplex. Quodlibet enim corpus recipit radios cujuslibet corporis in proportionali activitatis sphæra siti, suæ & recepti naturæ convenienter. Cùm enim omnia corpora moveantur, adeoque appetant unionem & discretionem, necessum est ut corporis uniendi convenientiam, disuniendi disconvenientiam suo modo percipiant.

XLIV. *Bonitas* est congruentia entis cum appetitu suo. Malitia est incongruentia entis cum suo appetitu. Appetitus suus est appetitus mensurans cui res conformari debet, Unde enim res habet suum esse, inde & suam bonitatem: hinc omne ens qua ens est bonum, ut pote mensurans vel mensuratum: si mensurans, utique congruit cum seipso, atque hæc est bonitas entis primi. Si mensuratum, utique congruit

gruit cum suo producente: unde bonitas entium secundorum. Rerum itaque naturalium & supernaturalium appetitus suus est divinus, artificialium (quæ in symbioticis positivè dicuntur)appetitus suus potest esse Artificis. Porrò quia quæ in uno tertio conveniunt, ea inter se conveniunt, omnes autem bonitates conveniunt cum appetitu primo, necesse est ut conveniant inter se, adeoque bonum bono consonet: unde resultat rerum omnium, omniumque disciplinarum harmonia practica, unde necessariò oritur disciplina Architectonica, cæteris practicè imperans, eaque Theologia.

XLV. Omne inquam ens bonum est, nec obstat quod plurima in rerum natura sint mala: nullum quippe malum omni modo & respectu summoque gradu malum est, secus malum potentius esset bono, adeoque malum esset bono melius, cum esse sit melius quàm non esse, quod esset absurdum. Hoc malum necessariò est in bono cum bono & ad bonum: Quare bonum est esse male, jam ista mala possunt ordinari ad bonum, nimirum quæ in se mala sunt, boni bonitate possunt esse productiva boni: ubi se maximè exerit summi boni excellentia.

Itaque omne malum in se complectitur materiale, rem vel actum bonum: & formale, boni debiti absentiam, quæ duo nunquam sunt ejus-

ejusdem generis, adeoque nec adversâ seu logicè contraria, secus se immediate destruerent. Fundamentum autem omnis malitiæ est nihil.

XLVI. Cùm bonum bono congruat, omneque bonum sit ens, utique omne bonum est sui communicativum, modò graduque bono, idest congruo. Nimirùm bonum infinitum necessitate naturæ est infinitè sui communicativum, infinita autem communicatio necessariò infert infinitam perfectionem tum communicantis, tum communicati, tum ejus cui communicatur: unde efficaciter concluditur perfectissima in summo bono seu ente primo societas, verùm cùm bonum infinitum potest esse sine bono finito, utique bonum infinitum liberè non necessariò communicat se ad extra seu bono finito. Unde oritur creaturarum contingens existentia. Denique cùm omnis potentia activa seu communicativitas in creaturis sit propter suum actum, utique frustranea & otiosa est illorum bonitas nisi communicent: unde oritur omnis creaturarum societas, nempe quò creatura est nobilior, eò nobiliori modo graduque se communicat, atque hæc est radix virtutum activarum.

XLVII. Cùm omne bonum sit verum suique communicativum, utique omne bonum est alicui communicabile, seu unibile, estque aliquid istius communicationis & quidem perceptæ capax, adeoque omne bonum

est

eſt appetibile: Malum verò nec verum nec communicativum, ſed tum ſui, tum boni deſtructivum, adeoque nec appetibile qua tale: ſecus ens appetens malum, qua malum, ſui ipſius deſtructionem appeteret. Appetuntur autem mala ſub falſa ſpecie boni: unde omnis incongruentia appetitus præſupponit incongruentiam (incogitantiam nimirum vel ignorantiam) perceptionis. Atque ex hac rerum tum communicativitate tum receptivitat, ſeu communicandi & recipiendi aptitudine oritur omnis omnino rerum tam in gratiæ quam in naturæ regno ſympathia & antipathia: ubi imprimis obſervanda eſt concordantia diſcors, quæ potiſſimum in duobus elucet. 1. Quod bona particularia ſibi ſpecie tenus oppoſita conſentiant in bono univerſali. 2. Ea quæ verè mala ſunt, faciant inſigniter ad bonum univerſi.

XLVIII. *Appetitus* eſt vox interna ſubſtantiæ, quâ circa rem aptam ordinatur; unde præſupponit perceptionem ignoti, quippe nulla cupido, eique ſaltem ex parte congruit, eſtque actus appetentis non primus, ſed ſecundus, & quaſi reflexus, ubi ſe oſtendit myſterium Trinitatis: non objecto percepto congruo vel incongruo judicato per ejus ſpeciem ordinatur circa illud.

XLIX. Appetitus communiter eſt amor, vel non amor, ſeu odium, latiſſimè ſumptis vocibus.

Amor

Amor eſt appetitus ſeu ordinatio quâ percipiens accedit ad rem perceptam, tanquam ſibi congruam: ſeu eſt inclinatio in rem tanquam bonam. Non amor eſt ordinatio quâ percipiens recedit à re perceptâ tanquam ſibi incongruâ, ſeu fugâ mali. Uterque conſiſtit in motu reſpectu objecti abſentis, & quaſi in quiete reſpectu objecti præſentis, nempe vel tendit in objectum non habitum, vel quieſcit in habito. Unde omnis motus (generaliſſimè ſumpto vocabulo) eſt unio vel diſunio. Et omnis quies eſt perfectiva vel deſtructiva. Atque hinc oritur Symmetia rerum: malum nimirum ab immutabili mali unione, ſicut bonum earum ſummum ab immutabili unione boni. Ut autem varia eſt eaque homogenea vel heterogenea, æqualis vel inæqualis, congrua ſeu conſentanea, vel incongrua ſeu diſſentanea appetituum, ita & motum ac quietem adeoque & ſtatum combinat, quæ accuratâ anatome eſt reſolvenda in primos & ſimpliciſſimos rerum nexus: Ubi quò appetitus eſt altior & generalior, eò naturâ jureque efficacior & major, v g. bonum ſummum præferendum non ſummo, univerſale particulari, adeoque publicum ſeu totius ſocietatis privato ſeu membris, neceſſarium non neceſſario: ſic quodlibet primò appetit ut ſit, deinde ut bene ſit & congruè. 3. Ut operetur.

L. *Appetitus in ſpecie* eſt vitalis, vel non vitalis,

talis, hic est quo non vivâ seu inanimatâ, non tam suâ quàm influentium perceptorum vi ordinantur. Unde accuratè notanda est appetentium dispositio: talis appetitus est cælestium, Elementorum, meteororum, ac mineralium, ubi accurate observetur Physica.

L I. *Appetitus vitalis* est quo substantiæ vivę vi suâ seipsas circa rem perceptam ordinant, qui in plantis est obscurior, in brutis illustrior, diciturque instinctus. Instinctus brutorum est innatus à natura, vel spontaneus à percepti objecti ad appetentem proportione determinatus.

L I I. *Voluntas* est spiritualis adeoque vitalis naturæ intelligentis appetitus. Ejus videbimus objectum, agendique modum. Objectum est bonum tam generatim quàm speciatim juxta cujusque appetitus naturam & statum consideratum. Cùm enim intellectus sit facultas universalis, quę potest percipere omne intelligibile, necesse est ut etiam voluntas (utpote vitalis) possit se ordinare circa bonum perceptum.

L I I I. *Modus agendi voluntatis* consideratur communiter vel specialiter. Communiter quod semper feratur in objectum cognitum, adeoque præsupponit actum intellectus. Specialiter est naturalis in actionibus ad quas naturâ suâ est determinata vel libera in actionibus ad quas seipsam determinat.

L I V. *Libertas* est voluntatis perfectio, quâ præ-

prævio indifferenti rationis judicio, sic ipsam ad actionem actionisque modum & gradum determinat. Hinc 1. Libertas est radicaliter in illum, formaliter in volente. 2. Judicium rationis est causa determinationis libera non proxima & adæquata, sed remota & inadæquata: Neque enim agit volontas nisi aliquam rationis eligibilitatem ostendit intellectus, quamvis alio modo graduque possit. 3. Vis libertatis consistit in vi aliquâ dissentaneâ, unde tot sunt libertatis quot dissentaneorum species. Revocantur tamen ad duo capita, ad libertatem contradictionis seu exercitii, qua potest hoc vel illud, hoc vel illo modo & gradu, agere vel non agere. 4. Libertas congruit naturæ appetentis, hinc in primo agente est purè activa, in secundis agentibus passivè activa, ipsa quippe ab agente primo ordinata, seipsa ordinant seu acta agunt.

LV. Hic è re fuerit subjicere tabulam appetentium Catholicam, quâ primæ omnium appetentium, adeoque virtutum activarum & actionum seu motuum radices repræsentantur, cujus videnda fabrica & usus.

Fabrica sic se habet.

Appetitus est entis considerati per se absolutè: vel relatæ seu sociè.

Absolutè est *Primitivus* vel *derivativus*. *Primitivus* est entitatis seu existentiæ quo omne ens appetit suum esse, suique conservationem: hic

hic est summus, fonsque cæterorum.

Appetitus derivativus & secundus est quo ens appetit suum statum, seu congruum existendi modum: Estque congrui modi, nempe integritatis & consistentiæ: vel gradus perfectioris seu fœlicitatis: ubi est acquiescentia, seu operativa quies & fruitio.

Appetitus entis relatè seu sociè considerati est *communior* vel *specialior*.

Communior est unionis vel communionis.

Vnionis vel simpliciter quo ens appetit esse cum alio ente, potestque vocari appetitus nexus: vel certo modo, quo ens appetit esse cum alio ente certo modo & gradu: Is consideratur *absolutè* ratione objecti: vel *comparatè*.

Ratione objecti primò est appetitus quò ens vult esse cum suis correlativis, v. g. principiis & principiatis, & similibus suis.

Comparatè in summo gradu constitutus dicitur Magneticus, qui est appetitus subtilis adeoque occultior, sed efficacissimus, sequam exerit in propinquitate oppositorum, ibi enim eligit congruentius, itemque in accomodatione, quâ ens vult quasi de suo jure aliquid remittere, ut alii enti consentaneo uniatur.

Appetitus communionis est appetitus operativus: Isque primarius vel secundarius & subordinatus.

Primus est appetitus assimilationis, quo ens appetit aliud sibi simile facere: Estque appetitus

titus productivus, quo datur omne id quod in ente est: vel assimilativus strictè dictus, quo aliquid in ente existens datur.

Appetitus secundarius communicationis est impressionis, quo enti vis aliqua quam non habet communicatur: vel excitationis, quo vis in ente inchoata consummatur.

Appetitus entis sociè considerati specialior est gubernationis vel consummationis: ille est quo ens præstantius appetit ordinariè minus præstans: hic est quo entia perfectum statum adepta se communicant reciprocè. Qui quidem appetitus est consummata quies, præcedentium omnium scopus & colophon. Hic nota tot esse species non appetitus seu fugæ, quot sunt species appetitus: sic est fuga dissolutionis, incongrui status, & sic deinceps.

LVI. Usus hujus tabulæ est longè maximus: Estque *Genetricus* vel *Analyticus*. Ille est quo appetituum horum combinatione, omnes entium appetitus ac motus deprehendimus: sunt autem appetitus simplices, compositi, & decompositi: hic est quo omnes omnium entium appetitus in hos primos ac simplicissimos resolvimus: sicque veras rerum causas investigamus: Universus enim naturæ, gratiæ & gloriæ processus repræsentatur in hac tabellâ. Sunt autem diligentissimè hi appetitus inter se conferendi, idque consentaneè & dissentaneè, ubi occurrit ipsorum sympathia & antipathia:

Item-

Itemque absolutè & comparatè, ubi occurrit prædominantia seu præeminentia,& subjectio seu cessio. Ubi nota sequentia. 1. Appetitus ad eundem finem destinati sympathetici. 2. Quò bonum est universalius, altius atque excellentius, eò appetitus est fortior. 3. Hæc tabula est deducenda per universam Encyclopædiam, imprimis Physicam, Symbioticam, & Theologiam. 4. Operationum defectus seu fallacia hinc quoque deprehendi possunt.

LVII. *Sympathia* est appetituum convenientia.

Antipathia, disconvenientia; nominatim continuitas.

Ubi notandum vi superiorum entium maximè primi omnem antipathiam tandem resolvi in sympathiam, proque vario respectu in creaturis præsertim corporeis, quæ vulgo videtur antipathia, esse sympathiam, v.g. allium & rosa ratione materiæ sunt antipathetica, sed ratione mutuæ conservationis sympathetica.

LVIII. *Ordo* est congruentia plurium: seu est plurium congrua unio: confusio est incongruentia plurium, seu plurium incongrua unio: hinc nullum ens potest esse omnimodè inordinatum: & necessariò universitas rerum ordinata est, secus seipsam destrueret: adeoque omnis varietas necessariò revocari potest ac debet ad unitatem: unde non potest dari processus

cessus in infinitum à priori, in nullo ordine. Est igitur ens aliquod primum cætera ordinans, Deus: hinc qualis & quanta est pluralitas, talis & tanta est ordo: Est autem ordinis efficacia infinita, tam in rebus quàm in disciplinis.

L I X. *Coordinatio* est ordo æqualium: subordinatio inæqualium. Itaque cùm in ente primo necessario sit multitudo, & ità utique necessariò erit coordinatio naturalis, licèt possit esse subordinatio voluntaria: possunt autem hi duo ordines conjungi, ita ut unum & idem ens respectu alterius possit esse coordinatum & subordinatum diverso respectu.

L X. *Terminus* est entitas extra quam nihil est ejus cujus est: seu intra quam ens est: hinc tot sunt genera terminorum quot ordinis: Nullus quippe ordo sine termino est.

Terminus est extremus vel medius: Ille est à quo & ad quem, qui omnes sunt proportionales inter se. In omni autem ordine necessariò occurrunt hi tres termini. Hinc syllogismus qui est mentis quædam analogia seu proportionatio, nec pluribus nec paucioribus constat terminis.

Terminus à quo est unde, seu à quo est ordo.

Terminus ad quem est ad quem est ordo.

Medius est terminus inter extremos, seu per quem est ordo: nimirum qui respectu termini primi est ad quem, respectu ultimi est à quo; hinc in omni perfecto ordine est emanatio,

tio, naanatio (continuatio) & remanatio; adeoque aliquid per modum efficientis exemplaris & finis.

L X I. *Via* (processus) est terminorum inter se habitudo: distinguitur autem ab æquato termino ad quem, non realiter sed modaliter:

L X I I. *Ens* prius est quod est ante aliud. Posterius quod est post aliud. Connexum quod est cum alio. Seu ens prius est, quod est dum aliud non est: posterius est quod nondum est dum aliud, Connexum quod tum est dum aliud est.

Hic excellit ordo naturæ subsistentiæ, durationis, cognitionis & perfectionis, Non enim ubicunque est ordo naturæ & subsistentiæ, ibi etiam est ordo durationis, secus posset esse res sine suis proprietatibus. Hinc subtiliores philosophi in quolibet ente concipiunt tria instantia seu momenta, scilicet momentum essentiæ, subsistentię, & proprietatum seu essentialis operationis.

L X I I I. *Principium* sumitur generalissimè pro omni antecedente sine quo aliquid esse nequit; vel cum quo aliquid habet necessarium ordinem & habitudinem: sic in rebus compositis ac successivis multa dantur principia, v. g. durationis, loci, quantitatis, situs, quin est negativa, putà nihil respectu creaturarum. Neque enim omne antecedens est principium, v. g.

v. g. decreta actionesque Dei necessariò antecedunt peccatum, ejus tamen principia non sunt; sic Solis ortus antecedit tenebras hemisphaerii nostri, earum tamen principium non est.

Vel specialiter pro entitate quæ antecedit efficienter, seu cujus vi & unde aliquid est. Hinc primò negato principio negatur principiatum, & posito principio ponitur principiatum, modo graduque proportionali. Secundò necessariò omne principium saltem ordine originis est principiato prius, prioritas originis est quâ principium non habet originem, principium autem habet.

L X I V. *Principium* est rei vel cognitionis, quamvis principia rei sint etiam principia cognitionis. Principium rei est unde res habet ut sit, seu cujus vi res est. Principiũ cognitionis est cujus vi res cognoscitur. Cùm autem in nullo ordine detur processus in infinitum à priori, seu respectu terminorum à quibus sequitur, 1. in omni omnino disciplina adeoque Encyclopædiâ universâ dari certa principia simpliciter prima, eaque incomplexa seu termini simplices: & complexa, terminorum simplicium combinationes seu axiomata. 2. Cum sine principiis præsertim subordinatis, principia haberi queant, iis autem positis ponantur: sequitur unicam methodum eamque rigidam studiorum esse progredi à princi-

 piis

piis ad principiata, vel vicissim. Utique omnis mentis humanæ ratiocinatio erit Genesis vel Analysis, nihilque aliud quam per scalam & catenam principiorum descensus & ascensus: Atque hoc vult Aristoteles in suis Analyticis.

LXV. *Principiatum* est quod sine aliquo ente priori esse nequit, id dividitur tot modis quot principium.

LXVI. *Principium reale* est principium tantùm, vel causa. *Causa* est principium efficax à quo res est & pendet. Pendere est essentiam distinctam cum imperfectione aliquâ accipere: influere (scholasticè loquendo) est alicui distinctam imperfectamque essentiam dare seu communicare. Principium causæ contradistinctum est quod alicui dat subsistentiam, eandemque essentiam citra imperfectionem: sic in divinis datur principium, ubi nulla durationis, perfectionis, naturæ accuratè loquendo datur prioritas, sed tantùm personalis originis, naturâ quippe sunt correlativa personæ.

LXVII. *Perfectio* est omnimoda enti intrinsecorum congruentia, seu est congrua essentiæ essentialiumque modorum & graduum præsentia, quâ ipsi nihil necessarium deest: hanc competere omni solique entitum respectivo (adeoque & divinis relationibus) quam absoluto patet, quia omne ens habet essentiam, adeoque necessariò omnia essentialia,

fine

ſine quibus eſſentia eſſe nequit, hinc Gen. 1, v. 31. omnia dantur valde bona. Quin ipſum chaos perfectum fuit: ſi autem ens aliquod dicitur imperfectum, id non eſt intelligendum privativè de abſentia perfectionis debitæ ſeu neceſſariæ, ſed negativè & comparativè de abſentia perfectionis non neceſſariæ ſeu indebitæ, nec de perfectione quam vocant partium, ſed accidentalium graduum.

LXVIII. *Eſſentialia* alia eſſentiam conſtituunt, dicunturque à priori, alia eam neceſſariò conſequuntur, & dicuntur à poſteriori; ſic quoque perfectio entis alia eſt prima ratione priorum, alia eſt ſecunda ratione proprietatum & eſſentialium operationum, hæc enim niſi haberet ens, nullus eſſet ejus uſus.

LXIX. *Perfectio* eſt talis vel ſimpliciter in genere entis, quæ nullam vel imperfectionem includit: vel æqualem majorumve perfectionem excludit; adeoque ejus præſentia ſemper eſt melior abſentiâ, v g. ſapientia, ſanctitas. Vel ſecundum quid in certo genere, nempe talis tantive entis, quæ vel aliquam includit imperfectionem, vel æqualem majoremve perfectionem excludit: hujus prioris generis eſt quævis perfectio finita: poſterioris eſt perfectio relativa adeoque & divina, cujus ſine imperfectione multiplicabilitas fundatur in mutuo reſpectu.

LXX. *Pulchritudo* eſt omnimoda entis ra-

tione aliorum entium congruentia. Hæc colophon omnium superiorum perfectionum, easque præsupponit. Nihil quippe potest congruere aliis, quod non congruit sibi ipsi.

Illam verò competere omni enti, evincit primi perfectio, omnia ad se congruentissimè ordinantis, aut inter se coordinantis: hinc fluit omnium ordinum panharmonia, omniumque ad ens primum reditus. Nihil quippe potest se ipsius efficaci ordinatione subducere: nec obstat quorundam entium rationalium infœlicitas, nam & illa quâ entia obtinent suam congruentiam.

Pulchritudo in practicis dicitur decorum (omnimodè congruum) eique vi convenientiæ & sympathiæ in affectibus respondet voluntas, quæ est perfecta appetitus in pulchro quies, radix enim omnis amoris est similitudo.

Atque hæc est tabula concatenata primogeniorum metaphysicæ terminorum, ex quibus tanquam radicibus ex primo seminario oriuntur cæteri omnes. Ex quorum definitionibus cæterorum terminorum per universam Encyclopædiam definitiones gradatim peti possunt & debent, suppeditant enim tum genera tum definitiones: Unde ab artis generalis studioso continua ex iis debet institui Genesis & Analysis.

A R.

ARTIFICII DEFINIENDI CATHOLICI LIBER QUARTUS.

Quo continetur

Genealogia Catholica centuriatim distributa, tradens

Præcipuas definitiones juxta seriem prædicamentorum ita traditas, ut solidam & ordinatam universæ Encyclopædiæ materiam, continuamque menti meditanti scalam suppeditare queant.

1. ENs est quod est. Non ens quod non est.

In ente quovis videnda constitutio & quasi principia, essentia & existentia, ac habitudo, nimirum modus ac gradus, seu quodlibet

ens conſiderandum eſt abſolutè & reſpectivè.

II. *Entis diviſiones* ſe ad inferiora immeantes, adeoque in ſubdiſtinctionibus neceſſariæ variæ ſunt, excellit tamen magiſque ſpecificè diſtinguit illa quâ ens dividitur in ſubſtantiam & accidens, quæ quidem eſt analogica, pluresque ac priores complectitur differentias:

Summus Ariſtoteles trutinando cacumina rerum,
In duo diviſit quidquid in orbe fuit.

III. *Subſtantia* eſt ens per ſe ſubſiſtens. Per ſe ſubſiſtere eſt ita eſſe, ut eſſentia rei non conſiſtat in additione ad aliud.

IV. *Subſtantia generatim* eſt univerſalis vel ſingularis, Illa multiplicabilis, hæc non.

Subſtantia ſingularis eſt non ſuppoſitum vel ſuppoſitum. ſeu Incompleta vel completa.

Subſtantia incompleta eſt ſubſtantia ſingularis conſtitutivè communicabilis: ſeu ita alteri unibilis, ut ex utraque oriatur perfectius (vel re vel ratione) aut quæ non habet ultimum (in creaturis perfectum) ſubſiſtendi modum, vel denique quæ ordinata eſt ad conſtitutionem alterius ſubſtantię: hinc ratione operationis dicitur principium quo.

Suppoſitum (ſeu ſubſtantia completa in creaturis) eſt ſubſtantia ſingularis conſtitutivè incommunicabilis: ſeu quod habet ultimum ſubſiſtendi modum: hinc ratione operationis dicitur principium quod: nam non niſi ſuppoſito-

positorum sunt actiones adæquatæ ; hinc in creatis substantiis, si essentialis ac intima quædam inter eas possit esse communicatio, potest quoque in iisdem esse essentialis unio, adeoque ex substantia completa fieri incompleta, & vicissim si aliqua possit sibi in sua operatione sufficere, ex incompleta fieri completa: Divinum autem suppositum propter summam suam perfectionem non potest fieri incompletum: sed hypostaticè unitum potest complere naturas rationales non irrationales, præsupponitur enim rerum naturæ consentanea unibilitas.

V. *Substantia in specie* est spiritus, corpus, vel ex utroque constans.

Hæc quamvis sint maximè distincta, nihilominus certam inter se proportionem habent, omniaque corpora sunt ob spiritus & ab ipsis.

VI. *Spiritus* est substantia viva essentiæ indivisibilis. Substantia viva, ergo quæ intimam conservandi, movendique vim habet. Hinc omni spiritui competit vis intelligendi, volendi & exequendi naturæ suæ ac sibi proportionalis: Nos propter indivisibilitatem potius intelligimus quid non sit spiritus, quàm quod sit.

VII. *Spiritus* est Deus, vel creatura spiritualis, seu infinitus vel finitus.

Deus est spiritus omni modo ac gradu (adeoque essentiâ, efficaciâ, & subsistentiâ) perfectissimus:

ctissimus: seu est ens quo eminentius nec esse nec concipi potest. Itaque Deus est adæquatus finis, basis & norma &c. naturarum omnium, adeoque totius Encyclopædiæ. Estque Deo omnis imperfectio neganda, ipsique tribuenda omnis perfectio tum proprietatum tum effectorum: Unde oritur triplex via cognoscendi Deum, apud scholasticos, nimirum negationis, eminentiæ, & causalitatis.

VIII. *Spiritus finitus* (creatura spiritualis) est spiritus ab ente primo, Deo, omni modo dependens: quia est spiritus utique primò est indivisibilis, adeoque in loco non circonscriptivè, sed definitivè, nimirum totus in toto, totus in loci partibus: secundò corpora ab ipso intelligi, adeoque appeti vel non appeti & moveri vel non moveri possunt, secus rumperetur naturæ concatenatio, foretque ipsorum operatio imperfecta.

Spiritum finitum esse omni modo à Deo dependentem patet, secus vel nullus vel plures Dii forent: Quia autem sunt pendentes à Deo, utique primo nec essentiâ nec efficientiâ sunt infiniti: secundò nulla est horum spirituum cum Deo fingenda coordinatio, sed subordinatio, idque in omnibus ipsorum operibus, tam ratione actus, quàm ratione potentiæ & virtutis, adeoque ipsis attribuenda congrua libertas; nimirum creaturæ & dependens, non creatoris & independens: quia spiritus est finitus

tus utique in loco; quia est indivisibilis erit utique in loco non circumscriptivè sed tantùm definitivè, totusque in toto & in partibus loci. Denique quia spiritus creatus est præditus vi intelligendi, volendi & exequendi, non erit utique circa corpora otiosus, iis suæ naturæ consentanea unire, seque communicare poterit: vicissim ab iis moraliter aliquid recipere & pati.

IX. *Spiritus finitus* est Angelus vel anima hominis rationalis: tertium enim quartumve genus non datur. Nam quæ præterea occurrere videntur, ut varia spectra, ea vel sunt naturalia, vel præternaturalia, ab Angelis, vel supernaturalia ab ipsomet Deo producta.

X. *Angelus* est spiritus finitus corporaturæ expers, seu corporis sibi substantialiter uniti ad omnimodam sui perfectionem haud indignus: hujusmodi spiritum dari præter scripturam ostendit ratio ab universi perfectione petita, & experientia: multa enim occurrunt quæ nec ad corpora, nec ad Deum, ut mali instinctus & motus referri possunt. Angelorum naturam vox spiritus, officium vox Angelus indicat, nimirum sunt Dei servi, Divinorumque beneficiorum & judiciorum erga homines executores. Licet autem Angeli ratione arctiori, corporum unione & communione non indigeant: At tamen ratione officii possunt & nonnunquam solent corpora ex consentaneis

sentaneis principiis fabricare, eaque speciali motu gubernare: speciali inquam motu, non quod ea vitaliter informent, sed quod intimiùs quàm solo locali motu efficiant.

Præterea cùm unus Angelus tot tantisque operibus ac officiis ob finitudinem non sufficiat, sequitur esse plures, cumque ipsorum multiplicatio & Divinę majestati & corporum varietati & ipsorummet perfectioni maximè congruat; utique consentaneum est multos ipsorum esse: ad hæc cùm ista maxima multitudo sine ordine nec subsistere, nec officio dextre fungi queat, utique erit inter illos ordo nobilissimus, forsan à vi intelligendi, volendi, & exequendi profectus: unde oritur perfectissimè consummata ipsorum societas.

XI. *Angelus* est bonus vel malus εὐδαίμων vel κακοδαίμων.

Angelus bonus est qui speciali Dei favore & influxu ipsi immutabiliter adhæret.

Ens quippe secundum omni modo pendet à primo. Ejus videnda virtus & status.

Virtus in intellectu est cognoscendi tum universitas tum claritas & firmitas, quæ divinâ revelatione & quotidianâ experientia augetur.

In voluntate est perpetua & perfecta sanctitas, adeoque summus Dei, & subordinatus creaturarum amor.

In potentia executiva est congrua prompti-

tudo

tudo & efficacitas, quâ malos Angelos compescere & corpora juxta mandatum Dei ordinare possunt.

Status ipsorum congruit virtuti, estque omnimoda beatitas, quæ consistit in gaudio & gloriâ ex visione Dei ortâ: hæc tamen non excludit gradus, distinctaque officia, cùm uniuscujusque capacitas abunde satietur. quæ de cœlestium orbium rotatione Peripatetici tradunt, ea nec ipsorum nec corporum naturæ satis videntur consentanea.

XII. *Angelus malus* est qui justo Dei Judicio irreparabili lapsu ab ipso defecit.

Per justum Dei Judicium, hic non est justitia intelligenda Dei particularis remunerans, sed universale supremumque Dei in omnes creaturas jus & dominium: omnis quippe differentia entium secundorum pendet à liberrimo arbitrio primi. Ejus videndum vitium & status.

Vitium in intellectu est incogitantia, ignorantia, falsitas, & inconsequens judicium & monstrosa confusio: quæ vitia nonnunquam Divinâ revelatione & quotidianâ experientiâ per se minuuntur, per accidens augentur.

In voluntate est consummata malitia, adeoque juratum Dei & creaturarum odium, quo bona vel planè non, vel malo fine ac modo appetit.

In

In potentia executiva est varia noxa, quâ suis naturalibus viribus vel ultrò vel tanquam Dei lictor & carnifex abutitur. Dico naturalibus, quia probabile est eas ipsi post peccatum nec ademptas nec adauctas fuisse: Divinæ autem majestati planè non est consentaneum, ut ipsi miraculosas vires largiatur.

XIII. *Anima rationalis* est spiritus finitus corporis organici sibi substantialiter uniti ad omnimodam sui perfectionem indignus.

Quia anima est spiritus, utique erit indivisibilis, adeoq; irresolubilis ac immortalis, secus homine mortuo vel annihilaretur vel resolveretur in sua principia, adeoque corpus foret.

Deinde quia est spiritus, utique vi intelligendi, volendi, & exequendi prædita est.

Ad vim intelligendi requiritur ut habeat species tum innatas, tum mediante corpore acquisitas.

Quia ad omnimodam sui perfectionem indiget corpore., sequitur ipsius separationem à corpore non esse secundùm, sed præter naturam, in quo quidem statu malè statuitur persona quasi imperfecta (licèt naturâ suâ sit ordinata ad corporis informationem) quoniam actus veros, reales ac vitales exercet.

Ex mutuâ animæ & corporis habitudine oritur varia utriusque sympathia, cujus vinculum est spiritus; Illa autem sympathia in confectionis, defectionis, refectionis, perfectionis statu est varia.

XIV. *Cor-*

XIV. *Corpus* est substantia essentiæ compositæ seu divisibilis. Quia corpus est ens, utique habet vim operandi in se & primariò, adeoque nullum reperitur corpus quod non habeat usum.

Quia est essentiæ divisibilis, utique erit quantum seu extensum, id est, habebit partem extra partem, eritque in eas resolubile seu divisibile, cumque ex indivisibilibus divisibilia fieri nequeant, quippe quæ se sola tangant: utique & corporis partes quævis erunt divisibiles adeòq; corpus quodvis erit divisibile in infinitum, idem non ex indivisibilibus componitur, nec in ea resolvi poterit: quæ quidem divisibilitas non potest deduci in actum quia est, nuda non repugnantia tendens, non ad perfectionem, sed imperfectionem, scilicet destructionem.

Ad hæc cùm quodvis corpus habeat partes, nullum erit infinitum.

Præterea cùm omne corpus habeat partes, habebit locum internum, id est, certam partium distantiæ mensuram. Iterum quia corpus quodvis respectu alterius potest adesse vel abesse, utique quodvis corpus, non maximum seu quasi pars habebit locum externum, id est, certam distantiæ mensuram ab aliquo termino immobili.

Quia corpus est essentiæ compositæ, utique partes appetunt sui unionem ac (communionem) continuitatem, fugientque discontinui-

tatem

tatem. Atque hic est corporeus appetitus primus. Iterum istæ partes unitæ necessario habebunt modum naturæ suæque unioni consentaneum, id est, certam extremitatum habitudinem & figuram; eamque naturaliter conservare appetunt. Atque hic est appetitus secundus, qui in omnibus etiam liquidissimis corporibus quamvis obscurius locum invenit.

Quia corpus est essentiæ compositæ, utique pro varia compositione seu combinatione erit varium, ex quâ combinationum varia subordinatione & combinatione oritur catenata (continuata) materiæ corporeæ corporea scala, quâ corpus est primum, secundum, tertium, & sic deinceps, ejusque principia & attributa proportionalia.

Subordinatio autem illa primò oritur ex certa partium subductione, quâ orta chaos portio certo modo figuratur, nimirum entium omnium multiplicatio in habitudinem varietate entium creatorum infinitâ habitudinum participatione, sic multiplicatio corporum fundatur in variè modificatâ materiæ primæ divisibilitate. Hinc in lingua Hæbræa מין species congruit מנה partiri, utrumque fluit à מן de vel ex. Quia omne corpus est quantum seu extensum, utique erit longum (habebit combinationem primam) latum (combinationem secundam) & profundum (combinationem secun-

secundum) & profundum (combinationem tertiam:) adeoque vel erit sphæricum, vel sphæram, quod per specialem modificationem fieri poterit, imitabitur.

XV. *Corpus* est naturale vel artificiale.

Corpus naturale est corpus à Deo productum, internaque ad motum habilitate præditum: productum inquam à Deo vi & lege ordinariâ.

Motus corporeus est successiva loci mutatio, successiva inquam tum ratione mobilis, tum ratione spatii: Ex hoc oritur & in hunc resolvitur omnis corporea varietas. Estque simplex vel compositus seu complicatus, quæ complicatio respondet corporum habitudini & complicationi. Unde corporis simplicis pro vario respectu potest esse motus varius, ejus insignis species est expansio, quâ idem corpus majus, & condensatio, quâ minus spatium occupat. Atque hi duo motus sunt primigenii, omniumque fontes, tum in prima naturæ fundatione, tum in ejus conservatione: necessario autem secum ferrent variationem situs, tum ratione totius corporis, tum ratione partium: ibi oritur proximitas & distantia, hic diversa figura.

XVI. *Corpus naturale* est primitivum vel derivativum.

Corpus naturale primitivum est primigenia illa aqua, omnis corporis motus, adeoque modorum & graduum corporeororum scilicet capacissima:

paciſſima: ex quâ omnia cætera corpora naturalia primò faciunt ortum, & in quam ultimo reſolvuntur.

Poteſt autem pro vario reſpectu dici vapor, fumus; à ſcriptura vocatur Marim.

Si eſt capaciſſima, utique eſt omnis ſpecialis determinationis expers per ſe, apta tamen ad quamvis: Illa tamen univerſitas non excludit modos corpori, & gradus ſimpliciter neceſſarios: hæc poteſt per incubationem Spiritus ſancti non ſolùm eſſe univerſale, omnis corporeæ paſſionis ſubjectum, ſed etiam omnigenæ actionis fons, ſemel enim mota, mutuo partium motu perpetuò agitatur, res naturales procreat, conſervat & conſummat.

XVII. *Corpus naturale derivativum* eſt quod ex primigeniâ aquâ ſpecialiter diſpoſitâ fuit productum. hoc per excellentiam dicitur naturale.

Ubi obſerva, corpora derivativa non niſi comparatè dividi in ſimplicia & mixta, nam omnia ſuo modo ſunt mixta.

XVIII. *Corpus naturale derivativum* eſt Elementum, vel Elementatum, ſeu ex Elementis productum.

Elementum eſt corpus derivativum immediatius ex primigeniâ aquâ productum, cæterorumque principium: hæc corpora ſunt maſſæ majoris & quaſi corporum collegia, ex quibus cætera proximè orta ſunt, & in quæ proximè reſolvuntur.

XIX. *Ele-*

XIX. *Elementum* est levius quod circonferentiam, vel gravius quod centrum mundi constituit & petit.

Levius est Lux & Cœlum: Lux scilicet illa prima & universalis, non autem specialis & varia.

XX. *Lux* est vapor perfectissimus, seu est vapor perfectissimè tum expansus tum conglobatus, adeoque sufficiens actionis principium, hinc est corpus in natura, ortu, statu, usuque primum, nam ea est periodus corporea & omnimode absoluta.

Potissima Lucis Collegia sunt stellæ.

Stellæ sunt Luces ita conglomeratæ ac coordinatæ, ut & se & universam naturam corpoream movere, movendoq; conservare queant.

Stellas esse veros ignes seu vapores accensos docet scriptura, experientia & ratio. Scriptura, quia nomina & attributa ignea iis ubique tribuit, & imprimis, 2 Pet. 3. 10, 12. Experientia, quia sensus docent eas per lumen, quod est portio Lucis, calefacere & accendere. Ratio, quia nullum ex hac sententia oritur incommodum, plurima autem in naturæ investigatione commoda.

Stellas autem ali vaporibus, i. e. partibus continuò derivatis aliis proportionaliter sibi succedentibus, etsi Peripateticis absurdum, veritati tamen consentaneum videtur. Hoc quippe naturæ circulus postulat, secus nec motus, nec influxus, nec aliorum in natura phœnomeno-

nomenorum ratio reddi poteſt; nimirum congrui vapores ſufficienter tum ab ipſiſmet alter alteri ſuam lucem communicante , tum ab aquis ſuperioribus ,, tum denique ab inferioribus tolli (egredi) ſtelliſque & quidem in circulum ſufficere queunt : hinc apparet cœli liquiditas liberque ſtellarum motus.

XXI. *Stellæ* ſunt Analogæ, vel Anomalæ, ſeu ordinariæ vel extraordinariæ.

Stellæ Analogæ ſunt quæ intra hexemeron creatæ ordinaria attributa ſervant , ſuntque fixæ vel planetæ.

XXII. *Stellæ fixæ* ſunt quæ eandem inter ſe diſtantiam ſervantes moventur ab Oriente in Occidentem : & vocantur fixæ,ſed propter diſtantiam æqualem , eæ ſunt vel in Zodiaco & dicuntur ſigna : vel extra Zodiacum,& quidem Auſtrum vel Boream verſus.

XXIII. Planetæ ſunt ſtellæ quæ obliquo & ſpeciali motu , id eſt, varia à ſe invicem diſtantia ab Oriente in Occidentem feruntur.

Obliquus ille motus facit ut ſimul ab Auſtro in Septentrionem , & viciſſim progrediantur.

Planetæ moventur liberè , ſuntque ſeptem. Saturnus, Jupiter, Mars, Sol , Venus , Mercurius, Luna.

XXIV. *Stellæ Anomalæ* ſunt Luces cœleſtes, à præcedentibus, ortu ſtatuque diverſæ.

XXV. Suntque ſtellæ Anomalæ ſtrictè dictæ,

dictæ, vel Cometæ Ætherei. Stellæ Anomalæ strictè dictæ sunt qui olim ut videtur creatæ recens ob descensum apparent. Illæ sunt *fixæ* vel *Planetæ*.

Fixæ sunt quæ in octavâ sphærâ apparent reliquis stellis, duratione exceptâ, similes: sic anno 1572. in Cassiopea sedecim menses apparuit stella quædam nova ab anno 1500. hactenus conspicitur quædam in Vulture, & ab anno 1604. quædam in Lyra.

Planetæ Anomali sunt stellæ Planetis situ vicinæ, sine tubo optico invisibiles, ut quatuor circa Saturnum, varii circa Solem.

XXVI. *Cometæ Ætherei* sunt stellæ ex vaporibus in cœlo condensatis recens ortæ, statutoque tempore resolutæ.

XXVII. Sequitur *Cælum*, quod est perfectissimè inter aquas superiores & inferiores expansum, adeoque tenuissimus ac purissimus vapor: igitur est corpus in natura, ortu, statu, usuque secundum, nimirum aura maximè spirabilis: esse vaporem tum ortus, tum usus, quia totum spirabile est, tum denique eventus docet, quia per condensationem perit, sed non totaliter.

Cælum est triplex, *Æreum*, *Stelliferum*, & *tertium* seu Beatorum.

Cælum æreum est vapor crassissimus expansus ab inferioribus usque ad sphæram Lunæ.

Cælum stelliferum est vapor mediæ naturæ, omnium stellarum receptaculum. Cæ-

Cœlum Tertium est vapor subtilissimus à stellifero ad supremas aquas expansus.

XXVIII. *Elementū* gravius est aqua vel terra.

Aqua est vapor primigenius terræ terrestriumque halituum ad mixtionem densatus. Agimus autem hîc nec de primigenia, nec de simpliciter mixta, sed de intermedia aqua, nimirum omnium inferiorum aquarum receptaculo & fonte. Ejusque potissimùm spectandus situs & motus naturalis.

Situs maris naturalis est primus vel secundus.

Situs maris primus est quo universam terram, solidam, suique plenam circundedit.

Situs maris naturalis, quo expansæ terræ cavitates ingressum nō nisi per partes ejus tegit.

Motus maris naturalis est primitivus vel derivativus.

Motus primitivus est quo venis terræ continuò se insinuat, eamque tanquam sanguis irrigat. Hic est motus in profundum, ejus pars est, motus librationis seu æquationis, quo ab altioribus locis in humiliora proportionaliter descendit.

Motus derivativus est, quo mare ab astrorum infernalisque ignis calore movetur, qui tamen ratione variorum circonstantiarū variat: Estq; communior raptus, vel specialior æstuationis.

Motus raptus est quo mare omnium cœlestiū motum imitans ab ortu fertur in occasum.

Motus æstuationis est quo mare vi halituum in terræ, marisque visceribus, à Sole & Luna

centra.

centralique igne irritatorum, intra duodecim horas reciprocat, jam ſex horis ad littora fluit, jam ab ipſis refluit. Eſt itaq; analogia in ſpiratione & reſpiratione Hic motus eſt menſtruus in interluniis & pleniluniis, & annuum in æquinoctiis ſumit incrementum.

XXIX. *Terra* eſt vapor primigenius, & cæterorum Elementorum concurſu maxime condenſatus: hæc eſt univerſæ naturæ corporeæ centrum, ſive primam ejus productionem, ſive præſentem conſtitutionem reſpiciamus: Catholicus omnium ſuperiorum inferiorumque virtutum magnes: denique omnium ſeminum, ſeminaliumque virtutum fœcundiſſima matrix. Maxima notatuque digniſſima varietas terrę, oritur vel à miſcentium, vel à miſcendorum, vel à modi graduſque mixtionis varietate. Hîc ſapentiſſimus Moſes de innumerabilibus tacuit, quia nihil ſunt aliud quàm terræ aquis temperatæ.

XXX. Hactenus de Elementis, ſequitur corpus Elementatum.

Corpus Elementatum eſt corpus derivatum ex Elementorum unione & communione productum, hoc pro vario miſcentium, miſcendorum, mixtioniſque gradu & modo eſt varium.

XXXI. *Corpus Elementatum* eſt perfectum vel imperfectum.

Corpus mixtum imperfectum eſt primus minuſve durabilis Elementorum concurſus ad perfectorum compoſitionem deſtinatus. *Ge-*

Generaliter dici potest *Exhalatio*, quæ & tenuiorum liquidarumque partium unio: hæc spargitur per universam naturam, estque præcipuè naturalium artium fundamentum, sive sit divisibilis sive indivisibilis. Illæ exhalationes quæ in aëre plerumque hærent dicuntur per excellentiam meteora. Est autem continuus & admirabilis meteororum circulus, naturæ superioris & inferioris connubium, & quasi omnium perfectè mixtorum promptuarium.

Exhalatio est vapor, fumus, vel medium aliquod.

Vapor est exhalatio humida, cujus partes inter se magis cohærent.

Fumus est exhalatio sicca, cujus partes non ità inter se cohærent.

Mixtio est infinita. ubi accuratè notandum exhalationes specie tenus similares reipsa esse valde dessimilares.

XXXII. *Meteora* juxta Elementa sunt leviora vel graviora, quæ omnia consideranda sunt in se, quædam autem (aquea imprimis) ratione illuminationis aspectus, unde oritur distinctio meteororum in realia & apparentia.

Leviora sunt ignea vel aërea.

Meteora ignea sunt pingues ac viscosi in aëre accensi fumi, accensi vel à seipsis vel ab astris.

A se

A se ipsis per partium subtiliorum condensationem à frigore circonstante, vel per crassiorem contritionem à motu totius.

Meteora ignea sunt suprema, media vel infima: Illa in supremâ, ista in mediâ, hæc in infima aëris regione hærent. Varianturque à figura partium, motu ac situ. Hæc omnia quia ex omnigenis, sæpiusque invisibilibus exhalationibus generantur, ab astrisque illuminantur, sunt utique variæ & quasi omnigenæ figuræ capacia, plerumque sunt ominosa. Etsi autem quædam forsan sunt planè supernaturalia, pleraque tamen videntur esse naturalia, seu in universali naturæ corporeæ structurâ fundata, quis enim credat tam frequentia miracula.

Meteora suprema sunt faces vel Cometæ aërei. Faces (latius sumpto vocabulo) sunt subtiliores, leviores ac oblongi in suprema regione aëris accensi fumi: harum multæ sunt innominatæ: Nominatæ sunt discretæ vel continuæ.

Discretæ vel verè, eæque partibus minoribus ac rotondiusculis, scintillæ volantes; aut majoribus & longiusculis, i. e. stipulæ ardentes: vel apparenter fumis intermediis protinus consumptis, capræ saltantes.

Faces continuæ sunt partium inæquabiliter unitarum, eaque superioribus tenuioribus: fax seu candela, aut inferioribus crassioribus, pyramis; vel æquabiliter unitarum, eaque tenuior,

ſagitta volans: aut craſſior, & hæc recta ſeu perpendicularis columna, vel tranſverſa trabs,

Cometæ aërei ſunt fumi copioſiores magiſque continui, adeoque durabiliores, ſphæricæ figuræ ſervantiores: huc pertinent illi qui à ſtellarum ſitu, motu & figurâ planè abhorrent.

Meteora media ſunt quæ ex alto deorſum dejiciuntur, ſuntque Draco volans, ſtella cadens, fulmen.

D*raco volans* eſt meteorum medium oblongum, diſſimilaribus pluribuſque partibus ac motu varium ſeu tortuoſum.

Stella cadens eſt meteorum medium, rotundum, ſimilaribus, paucioribuſque partibus conſtans.

Fulmen eſt meteorum medium denſiſſimis, ſulphureis nitroſiſque partibus conſtans, ac proinde accenſum, cum *fulgure*, & tonitru, interruptâ nube deorſum præcipitatum. Hoc imitantur tormentorum exploſiones.

Fulgur eſt tremuli luminis è nube erupti fragor: Eſtque crepans cùm fulmen ſubitò lumen rumpit: ſtrepens cùm ſucceſſivè, vel tumultuans cùm intra nubem diſcurrit. Effecta fulminis mirifica in petris, metallis, plantis, animalibus: oriuntur potiſſimum à mirabili materię fulminaris vapore, ejuſque ſingulari ſympathia & antipathia.

L*apis fulminaris* eſt variæ formæ & efficaciæ,

ciæ, à materia fúlminari, aut à maximo in nubibus, aut à lento in terra calore fortiſſimè contritus lapis.

Meteora infima ſunt Ignis fatuus, Caſtor, Pollux, Helena, & Ignis lambens.

Ignis fatuus eſt ignis terreſtris pinguior ſui condenſatione accenſus, denique agitatus.

Caſtor & Pollux, & Ignis fatuus, aqueus, duplex.

Helena eſt ignis fatuus, aqueus, ſolitarius, nuntius tempeſtatis.

Ignis lambens eſt fumus accenſus & oleoſus animalium.

XXXIII. *Meteora aërea* ſunt venti. Ventus eſt in aëre ſubitò adeòque cum impetu quodam deorſum expanſus vapor: quæ expanſio vel oritur ab expanſione quando vel ipſa materia ſubitò rareſcit, vel à loco anguſtiori, in capacem pellitur, vel à condenſatione, cùm in alio loco vapor contrahitur, ex eoque vicinus valde premitur & attrahitur. Itaque in ventorum inquiſitione diligenter univerſæ naturæ loculus perpendendus. Unde etiam ventorum utilitas pateſcit, nimirum quod ſint aëris, terræ & aquæ ſcopæ, meteororum aurigæ; vivorum (id eſt plantarum & animalum) flabra, motuum magiſtri, hominum alæ.

Ventus eſt univerſalis vel particularis.

Univerſalis eſt qui omni tempore ſpirat ab

 oriente

oriente in occidentem, hunc indicat nubium frequentissimus ab ortu in occasum, etiam adverso inferiori vento, motus, sereno tempore, aurâ, faciliorque præsertim intra tropicos occidentem versus navigatio.

Ventus particularis est qui non spirat omni tempore, estque *non procellosus* vel *procellosus*.

Non *procellosus* est *vagus* vel *status*.

Vagus qui ex communiori materia constans, omni tempore flare potest.

Ventus vagus seu liber est Cardinalis vel Collatelaris: Ille est qui à quatuor mundi cardinibus spirat, nimirum ab ortu æquinoctiali Subsolanus frigidus & siccus: ab occasu æquinoctiali Zephyrus subfrigidus & humidus. A meridie Auster, calidus & humidus: A septentrione Aquilo, frigidus & siccus.

Collateralis est principalis, vel minus principalis.

Principalis est duplex, respectu orientis, Subsolanus, & Eurus: Respectu occidentis Favonius & Africus: respectu Septentrionis, Boreas, & Circuus: respectu meridionalis plagæ, Euronotus, Libanotus.

Minus principalis complicatur ex præcedentibus, nominantur pro ratione situs.

Ventus status est qui ex peculiari materia constans certo anni tempore flat. Is in Europa est æquinoctialis, Chelidonia flante verno tempo-

tempore: Vel Soſtitialis, iſque Septentrionalis; flantes in diebus canicularibus: vel Auſtrales flantes in brumâ: Ubi notandum eſt dari etiam ventos provinciales certis locis proprios.

Ventus procelloſus, eſt qui ex exhalatione dilatationis impatientiori fit. Iſque ſimplicior vel compoſitior.

Simplicior ſine aliqua materia, Cnephias, ſubitò ex nubibus erumpens deorſum: Vel Typhon ſeu turbo, in gyros, actus ſurſumque reflexus.

Compoſitior eſt Exhydrias ventus cum magnâ mole aquæ.

XXXIV. *Meteora generalia* ſunt aquea & terrea.

Meteora aquea ſunt vapores varii gradatim in aëre condenſati, eorum ortum & uſum pulchrè explicat Moſes in Geneſ. 2. v. 6. nimirum meteora aquea ſunt vapores circulariter aſcendentes & deſcendentes, fœderis naturæ inter partes, & quaſi Mercuria: Ea ſunt nubes vel nubium fluctus.

Nubes eſt vapor in aëre variè temperatus ac concretus. Nubes enim ſunt quaſi vaporum comitia & fontes: Cætera meteora portiones & rivuli. Nubis in aëre ſuſpenſio nititur æquilibrio.

XXXV. *Nubium fluctus* r gionis aëris, *infimæ* vel *mediæ*.

Infimæ, Nebula, Ros, & Pruina.

Nebula est impurior, densior, adeoque gravior nubis pars; Accurratè tamen dicendo sunt rudimenta nubium, hæc fugientem sequitur, & sequentem fugit, & visus reflexionem.

Ros est nubis purior ac subtilior in vicino aëre ab aurorâ frigidiusculâ pars condensata. Species roris sunt mel meteorologicum, dulcior liquor, item manna, succus pinguior magisque inspissatus.

Pruina est ros congelatus seu magis salsus: huc pertinent oblonga illa fila stipulis in aëris adhærentia.

Mediæ, sunt nix, pluvia & grando.

Nix est nubes congelata. Ejus utilitas est longè maxima ob copiam spiritus seu contortioris vaporis.

Pluvia est nubes condensata guttatim descendens: non rarò est prodigiosa, cum rebus mineralibus, lapidibus, lateribus, vel vegetativis, ut tritico: vel animalibus, sanguine, lacte, carne, lana, & ranis pluit.

Grando est pluvia congelata.

XXXVI. *Meteora terrea* sunt origines terræ motus: vel terræ motus.

Origines terræ motus sunt vapores terræ varii ac fortiter expansi.

Terræ motus est insignis terræ à copioso vapore ab igne subterraneo cœlestibusque innato profe-

profecta agitatio, & quasi fulmen terreum. Estque primitivus vel derivativus.

Primitivus est quo vapores terræ inclusi erumpunt.

Derivativus est cùm vapores certis terræ partibus inclusi erumpunt, nonnullasque terræ partes aliter collocant: Estque tremor in lato, pulsus in alto, halitus in profundo.

Terræ motus est magna vis circa meteora & mineralia, plantas & animalia, habetque vim præsagiendi & producendi insignes in humana societate mutationes. Unde etiam in scriptura typicus est, Hagg. 2. 7. & deinceps.

XXXVII. Hactenus de Meteoris in se consideratis: sequuntur varii ipsorum aspectus. Unde quædam ipsorum (aquea imprimis & ignea) dicuntur apparentia.

Meteora apparentia sunt variæ radiorum partim reflexorum in vaporibus ac fumis cum umbris & inter se mixturæ. Eorum natura pendet à vario illuminantium, illuminatorum, illuminationumque modo graduque, quæ quia sunt catholica in natura principia, ipsorum extraordinariorum præsertim significatus est singularis.

Meteora apparentia sunt informia vel formata.

Informia sunt luces sine certa figura repercussæ. Suntque vaga, varii nubium colores, imprimis cærulei, purpurei, & rariores, sangui-

nei planeque nigri. Vel ſtata, Crepuſculum: quod eſt lux Solis ab horizonte octodecim gradibus opaciori vaporibuſque denſatiori aëre repercuſſi. Illi vapores pro varia diſpoſitione aſcendunt áltius vel minùs altè, raró ultra 45 gradus. Eſt autem Crepuſculum Orientis vel Occidentis Solis & veſpertinum.

Meteora apparentia formata ſunt quæ unà cum luce figuram repræſentant. Ea repræſentant figuram vel reflexivi ſeu illuminantis; vel reflexi ſeu illuminati. Figura reflexivi eſt vel vaga, ut in chaſmate, & phaſmate, vel certa & ſtata.

Chaſma eſt repræſentatio hiatus à mediarum partium obſcuritate, & extremarum claritate orta.

Phaſma eſt repræſentatio variarum figurarum naturalium vel artificialium, ortâ à varia nubium & lucis infectione.

Figuræ certæ & ſtatæ ſunt Virgæ, quæ ſunt lineæ perfectæ in nube difformi ſeque diſſolvente, Solem repræſentantes.

Meteora figuram reflexi ſeu illuminati repræſentantia, id faciunt vel imperfectius circulum, vel perfectiùs ſphæram exprimentia. Imperfectiùs repræſentat Halo & Iris.

Halo eſt circulus integer lucidus in nube roſcidâ ex varia refractione & reflexione ortus. Ea eſt ſyderum majorum, Solis & Lunæ, aliquando aliorum.

Iris

Iris eſt tricolor, nempe puniceum, viride, purpureum, circuli in nube concavâ & roſcidâ apparentis ſegmentum.

Color puniceus ex majori viridis, ex minori purpureus, ex minimâ lucis copiâ oritur: Et hi quidem primarii ſunt, ſecundarii fermè ſunt innumeri.

Iris eſt ſolaris vel lunaris. Utraque primaria vel ſecundaria, perfectiùs ſeu ſphæram repræſentant, Parelius & Paraſelene.

Parelius eſt imago Solis in nube ipſi ſubjecta.

Paraſelene eſt imago Lunaris in nube ſubjecta, utrumque Meteorum.

Parelius nempe & Paraſelene eſt primarium vel ſecundarium. Eaque hæc ſummaria doctrina Meteororum, quæ ut ortu eſt Phyſicomathematica, ità uſu eſt Phyſico ſymbiotico Theologica.

XXXVIII. *Hactenus* de corpore Elementato imperfectè mixto: ſequitur Elementatum perfectè mixtum, quod eſt corpus diſſimilare ſpiritu, (id eſt, ſubtiliori vaporis portione incluſâ) & gubernante & corpore in craſſiori includente & gubernata firmius intimè unitis partibus conſtans, hoc oritur ea Elementorum repetito concurſu: unde & tanta ipſius cum Meteoris ſympathia.

Corpus perfectè mixtum eſt inanimatum ad animatum. Illud eſt cujus ſpiritus eſt vel continuus,

tinuus, ſeu ità corporeis partibus interceptus, ut ſpirituoſæ partes immediatè, nec ſe nec corpus ſuum circumjectum movere queant; Græcis vocantur μέταλλα, id eſt in terris genita, Latinis Foſſilia, Phyſicè Mineralia; habent uſum non ſolùm ſymbioticum, ſed & Phyſicum, adeoque Mechanicum & Medicum.

Non plura inventa fuere.

SCIAGRAPHIA
SYMBIOTICÆ,
Seu
COMPENDIUM
SYMBIOTICUM.

In quo breviter præcipua omnium ſocietatum principia recenſentur ac explicantur.

HAGÆ-COMITUM

Apud ADRIANUM VLACQ.
M. DC. LXI.

SCIAGRAPHIÆ SYMBIOTICÆ, Seu COMPENDII SYMBIOTICI

LIBER PRIMUS.

Symbiotica communis ſeu generalis.

CAPUT I.

De Beatitudine Symbiotica.

I. S*Ymbiotica eſt prudentia de ſocietate.* Quia eſt prudentia erit habitus activus, adeoque diſciplina practica, ac præſupponet Theoreticas, in primis Metaphyſicam cujus axiomata practicè enunciat: Nam termini Metaphiſici ſunt primæ ſymbioticorum radices.

II. *Societas & ordo ex congrua perſonarum unione & communione ortus.*

Cùm ſit ordo, erit congruentia plurium, adeoque in omni ſocietate erit perpendenda ſocia-

torum convenientia & differentia, id eſt, unitas varia & varietas una: ſeu concordia diſcors & diſcordia concors.

Cùm ſit ordo erit relativum quid, & præſupponet abſoluta. Hinc omnia in ſocietate occurrentia erunt perpendenda abſolutè & reſpectivè, ſeu per ſe & inter ſe, ipſorum diſtinctio & mutua habitudo.

Cùm ſit ordo perſonarum erit etiam eorum quæ ad perſonas pertinent, & quò aliquod magis eſt perſona, eò illuſtrius erit ſocietatis membrum.

Denique cùm hæc diſciplina ſit ſymbiotica, id eſt, perſonarum relatè conſideratarum, præſupponet generalem quandam Ethicam ſeu diſciplinam quæ de perſonis per ſe ſpectatis earumque perfectionibus agit. Hinc axiomata Ethica ſunt applicanda univerſæ ſymbioticæ, hujuſque tituli titulis illius diligenter explicandi, probandi & amplificandi.

III. *Symbiotica eſt generalis vel ſpecialis.*

Symbiotica generalis eſt quæ agit de ſocietate in genere; niſi ſymbiotica generalis præmittatur ſpeciali, nec rerum ac diſciplinarum harmonia bene cognoſci, nec ſolida ſymbioticorum terminorum intelligentia haberi poteſt.

Quamvis enim ea quæ Deo & creaturis communia ſunt, tantum analogicam, attamen veram habent inter ſe convenientiam, generalia itaque generaliter, ſpecialia verò ſpecialiter tradenda ſunt.

IV. *Sym-*

IV. *Symbiotica generalis agit de fine; subjecto & mediis societatis in genere.* Nimirum videndum cur, quæ, quomodo consocianda sint, quare identidem applicentur conjugata.

V. *Finis symbioticæ est societatis beatitudo.* Hic finis est Catholicus & Architectonicus, adeoque omnium rerum & actionum symbioticarum fons & mensura.

VI. *Societatis beatitudo est totius societatis singulorumque ejus membrorum perfectus status:* Hæc consistit in bonorum omnium præsentia, malorumque omnium absentia. Requirit itaque ut omnia societati necessaria, utilia atque jucunda sint, omnia verò inutilia ac ingrata absint.

VII. *Beatitudo societatis consideratur dupliciter.* 1. Singulatim vel continuatim: 2. quoad essentiam vel eminentiam.

VIII. *Sigillatim considerata est perfectus sociorum status: conjunctim considerata est perfectus status consociationis.*

Nam ex perfectione partium resultat perfectio totius: & perfectio totius includit perfectionem partium. Beatitudo autem partium dicitur privata: Totius consociationis dicitur publica, quæ oritur ex congrua partium ad partes, partium ad totum, & totius ad partes habitudine; huc pertinet illud, publica privatis anteponenda sigillatim & conjunctim, ex qua mutua collatione prorsus mirifica oritur rerum symbioticarum immeatio. IX. Si-

IX. *Sine beatitudinis essentia nulla sine ejus eminentia aliqua societas esse potest*, sed de his in specialibus distinctiùs.

Caput. II.

De personis & rebus consociandis.

I. *Subjectum vel objectum symbioticæ generalis est persona quatenus consociari potest ac debet.*

II. *Persona est subsistens intelligens.*

Itaque ea quæ non sunt, vel inperfecta sunt personæ, vel planè non, vel imperfecta sunt societatis membra, quales sunt furiosi, monstra, embriones, posthumi & infantes: Inter inanimata igitur & bruta non est propriè dicta societas.

III. *Persona est sociabilis tum ratione sui tum ratione eorum quæ ipsi competunt, seu sua sunt.*

IV. P*ersona ratione sui est sociabilis, quatenus natura ipsius est sociabilis:* Hinc datur etiam societas naturarum intelligentium, qualis est unio hypostatica divinæ ac humanæ naturæ in Christo: E qualis est personarum natura, talis quoque est ipsarum socibilitas.

V. *Ea quæ personæ competunt quatenus sociabilis est, possunt revocari ad duo capita, nimirum ad facultates & operationes.*

VI. *Fa-*

VI. *Facultas est vis operandi quæ personæ competit, ea est interna vel externa*: *illa est quæ personæ internè competit.*

VII. *Facultas interna est absoluta vel respectiva*: Utraque est naturalis quæ personæ à natura: vel acquisita quæ ipsi liberè inest.

VIII. *Facultas interna absoluta est quæ personæ per se spectatæ convenit*; & quidem naturalis est quæ personæ à natura inest, estque triplex scil. *Intellectus, voluntas,* & *potentia executiva.*

IX. *Intellectus est spiritualis cognoscendi facultas*: hinc omnis actio symbiotica præsupponit cognitionem.

X. *Voluntas est spiritualis appetendi facultas*; hinc omnis actio symbiotica debet esse libera.

XI. *Potentia executiva* (hic) est *spiritualis actionem cognitam ac electam producendi facultas*: Hinc omnis actio symbiotica præsupponit vires congruas.

XII. *Facultas interna respectiva est quæ personæ cum aliis collatæ inest*: Ea est aptitudo vel jus personale.

XIII. *Aptitudo est remota ad aliquid habendum vel agendum facultas.*

Aptitudini in naturalibus respondet potentia, facultati verò actus; unde vocatur jus propriè ac strictè dictum, itemque potestas.

XIV. *Potestas talis vel est in personas vel in res, vel ad actionem*: Ad potestatem in personas pertinet libertas, quæ est potestas sui ipsius:

poteſtas in res dicitur dominium, poteſtas ad actiones, officium.

XV. *Poteſtas eſt vulgaris ſeu privata: vel eminens ſeu publica*: Poteſtas privata eſt poteſtas membri ſocietatis uſus particularis cauſâ. Poteſtas eminens eſt poteſtas ſocietati cōpetens in partes, & res partium boni communis cauſâ.

XVI. *Facultates perſonæ externæ ſunt res quæ perſonæ competunt, ac ad agendum inſerviunt*: hinc etiam latinis dicuntur facultates & opes.

XVII. *Rei vocabulum valde eſt ambiguum*; nam aliquando generaliſſimè ſumitur pro ente, ſic perſonæ cæteraque omnia ſunt res: aliquando minus generaliter pro eo quod non eſt perſona neque actio: aliquando ſtrictè pro re externa, quatenus ab internis facultatibus & operationibus diſtinguuntur: prima acceptio eſt metaphyſica: ſecunda juridica: tertia ſymbiotica, quatenus perſonarum ſunt inſtrumenta, ſive ſint neceſſaria quibus perſona carere nequit, ſive libera quibus perſona & carere & uti ſine ſuo incommodo poteſt. Itaque rerum fines, menſuræ ac domini ſunt perſonæ: ſic in ſymbiotica tractatur de rebus quatenus referuntur ad perſonas, unde etiam omne jus rerum fluit ex jure perſonarum.

XVIII. *Res conſiderantur vel in ſe, vel quoad ſuas acceſſiones.* In ſe hîc conſiderantur quoad generales diviſiones.

Conſideratio rerum non minùs ac perſona-

rum

rum est absoluta vel respectiva: consideratio respectiva vel confert res cum rebus, vel res cum personis, de quibus infra.

XIX. *Divisiones rerum generales sunt Physicæ vel symbioticæ.* Res possunt fermè dividi ratione omnium disciplinarum, sed hîc generaliores tantùm divisiones sunt proponendæ.

XX. *Generales rerum divisiones physicæ quæ huc pertinent, sunt hæ præcipuæ.*

1. Res est præsens vel futura: illa est quæ jam actu in rerum natura existit: hæc est quæ existit in suis causis, adeoque nondum est, sed esse potest, cujus frequenter in symbioticis habetur ratio.

2. Res est naturalis vel non naturalis: illa est quæ vi & cursu naturæ existit: hæc est quæ vi liberæ voluntatis existit, estque naturalis quæ à speciali voluntate divina: vel artificialis quæ à voluntate humana est producta.

3. Res est incorporalis vel corporalis: corporalis est quæ tangi potest, estque immobilis, res corporalis fixa; vel mobilis quæ de loco in locum moveri potest; eàque inanimata ut lapis, vel animata ut equus.

Incorporalis res est quæ tangi non potest: huc pertinet divisio, quod res aliæ sint spirituales, aliæ corporales.

XXI, *Symbioticæ divisiones observentur duæ.*

1. Res sunt nullius vel alicujus: res nullius sunt quæ nec possidentur nec in dominium ha-

bentur: has duplices faciunt Jurisconsulti, nimirum quod aliæ sint quæ nullius fieri possunt, aliæ quæ fieri possunt. Verùm hæc divisio hic non habet locum, quia nulla res est in natura quæ non sit alicujus personæ. Res nullius, vel nullius antea fuerunt, vel alicujus antea fuerunt, sed postea esse desierunt: hæc quoque divisio, si vox nullius sumatur de quocunque dominio non est generalis, sed si de certo.

Res alicujus sunt quæ in dominio habentur vel possidentur; eæ sunt publicæ vel privatæ. Res publicæ sunt quæ toti societati sunt communes, dicuntur res universales: res privatæ sunt res singulorum.

2. Res est principalis vel minùs principalis sive accessoria; illa est origo hujus ac fundamentum, hæc est illius appendix, hinc

XXII. *Accessiones sunt res quæ ab aliis pendent, ad easque respectum habent: suntquè fructus vel impensæ.* Fructus est omnis rei commoditas atque utilitas; nimirum quæ impensis in res factis superest.

Impensæ sunt accessiones rerum in res principales, earum scilicet conservationem, meliorationem aut exornationem collatæ: huc pertinent decessiones seu damna.

XXIII. *Hactenus de personarum symbioticarum facultatibus, sequuntur earum operationes, quò pertinent etiam passiones.*

Actio seu operatio symbiotica est ordinatio

quâ

quâ persona symbiotica se ordinat. Passio symbiotica est ordinatio quâ persona symbiotica ordinatur. Utraque fit personis, facultatibus earum ac rebus proportionalis.

Actio & passio competit quoque rebus symbioticis, sed de hac hic non agitur: posset aliâs actio & passio sic dividi, quòd alia sit personalis quæ personæ, alia realis que rei competit.

XXIV. *Actionis symbioticæ videndæ sunt affectiones & communes divisiones.*

XXV. *Affectio actionis symbioticæ est ejus congruentia & existentia.*

Congruentia sub se complectitur modum & gradum: Hinc omnis actio symbiotica debet habere certum modum & gradum.

Existentia sub se complectitur actionis inexistentiam quæ est in certo substituto & duratione, unde in actionibus finitis oriuntur circonstantiæ loci, ac temporis, quibus congruere debent.

XXVI. *Divisiones actionum symbioticarum sunt variæ, quæ à Metaphysicis profectæ in symbioticâ usurpantur, seque immeant.*

Illustriores ac usitatiores sunt sequentes.

1. Actio symbiotica est positiva, cùm aliquid fit, vel negativa cum non fit aliquid.

Non raò autem actus negativus seu omissio æquiparatur actui positivo.

2. Actio est absoluta vel relata: illa est quæ ad aliam actionem non habet respectum: hæc

quæ

quæ habet: Eſtque actio relativa, primitiva vel derivativa: illa eſt ex quâ alia, hæc quæ ex alia ſequitur. Ad actiones primitivas pertinent præparationes: Hinc actiones ſunt decernentes vel exequentes.

3. Actio eſt pura vel conditionalis: pura eſt quæ à nulla conditione pendet. Actio conditionalis eſt quæ pendet ab aliqua conditione. Conditio eſt antecedens (plerumque cauſa) rem quæ agitur ita ſuſpendens, ut antequam illud exiſtat, neque ipſa actio, neque affectus ejus extitiſſe cenſeatur.

Quamvis autem multæ Dei actiones ſint conditionales, ipſe tamen à nulla conditione pendet, quia ipſemet eas ponit & tollit.

Actio conditionalis eſt conjuncta vel disjuncta: Actio conditionalis conjuncta eſt cujus conditiones plures ſunt ſimul unitæ ſeu copulatæ, quæ pro perfecta non habetur, niſi conditionibus ſimul omnibus poſitis & impletis.

Actio disjuncta eſt cujus conditiones plures ſunt, ſed alternatè, quarum unam ad actionis perfectionem impleri ſufficit: Hinc poteſt etiam vocari actio disjunctiva,

4. Actio eſt interna vel externa, illa eſt quæ internè perficitur: Hæc quæ externis ſignis exprimitur.

5. Actio eſt ſimplex vel mixta: Simplex eſt quæ nec variis conditionibus nititur, nec ex variis actibus componitur.

Actio

Actio mixta est quæ vel variis conditionibus nititur vel, ex variis actibus componitur, sive illæ conditiones & partiales actiones sint homogeneæ sive heterogeneæ: Huc pertinent actiones collectivæ.

6. Actio est expressa vel tacita: Actio expressa est quæ immediatè eo modo fit quo ordinariè secundum naturam suam fieri solet, seu quando aliquid (ut Philosophi loquuntur) formaliter fit.

Actio tacita est quæ alii actioni æquipollet, seu qua alia fit æquipollenter, licèt immediatè non fiat: hæc actio nihil est aliud quàm factum aliquod, quod licèt non prorsus eo modo quo fieri debebat, fiat, tamen tale est ut symbioticè tale æstimetur, adeoque formali actioni æquiparetur: Unde etiam vocatur actio interpretativa, cujus modi sunt varii, nam vel fit aliquid eminenter, cùm una actio non solùm æquatur alteri, sed etiam ipsi præstat: vel strictè æquipollenter, cùm una actio alteri planè est æqualis: Vel consequenter cùm una actio quidem non æquatur alteri, per se, sed propter alia vel antecedentia vel connexa, vel consequentia; hinc generaliter in symbioticis actio tacita æquipollet expressæ.

7. Actio est publica vel privata: Illa est actio universæ societatis: Hæc est actio membrorum societatis. Actio autem publica est duplex. Nam vel est omnino publica quæ à societate fit, ha-

habetque immediatè finem publicum: Vel secundùm quid, quæ quidem est totius societatis, sed tamen pro fine proximo habet bonum privatum.

8. Actio personalis ac realis hic non datur talis ratione efficientis seu principii, sed ratione objecti.

XXVII. *Passio symbiotica potest dividi ut actio perticulariter distribuitur incongruam vel incongruam, seu perfectivam vel distructivam.*

Passio congrua (hic) est quâ aliquod bonum personæ competit: Incongrua quâ aliquod malum, sic laus, honor, electio ad officium est passio perfectiva; pœna, infamia, distructiva.

Cùm beatitudo societatis sit congruus societatis sociorumque status, jamque & personas & res sociandas distinctiùs consideraverimus, restat ut beatitudinis quoque partes enarremus: Sic enim mediorum cognitio erit clarior & fructiosior, cùm beatitudo sit ipsorum mensura. Beatitudo itaque competit personis sociabilibus, vel ratione sui, vel ratione facultatum, vel ratione actionum & passionum.

XXVIII. *Ratione sui ad beatitudinem requiritur naturæ integritas ac perfectio*: Hæc est basis reliquarum partium.

XXIX. *Ratione facultatum requiritur promptitudo & efficiatia.*

Ratione intellectus, sapientia.

Ratione voluntatis, rectitudo & libertas.

Ra-

Ratione potentiæ executivæ, sufficientia.
Ratione aptitudinis, congruentia.
Ratione juris personalis, meritum.
Ratione rerum, copia & abundantia.

XXX. *Ratione actionum ac passionum, earum commodus usus & fructus*; atque hæc est beatitudo personæ per se spectatæ.

XXXI. *Beatitudo personæ cum respectu considerata vel respicit ipsius bonum, vel personæ sociæ: illa consistit in gaudio & gloria.*

Gaudium est affectus ex superiorum bonorũ præsentia ortus: Oportet itaq; ut sciat persona se possidere bona ad beatitudinem necessaria.

Gloria vel est dignitas illa personæ, quâ sociarum honorificum de se meretur judicium, vel est ipsummet honorificum judicium, statusque inde resultans.

Huc usque de beatitudiue personæ relatè consideratæ quatenus respicit ipsius bonum.

XXXII. *Beatitudo personæ relatè consideratæ quatenus respicit bonum personæ sociæ, complectitur socialium officiorum præstationem, & conjunctam beatitudinis fruitionem.*

XXXIII. *Hactenus de beatitudine personæ sigillatim. Conjunctim nihil aliud est quam superiorum omnium perfecta proportio, unde resultat absoluta totius societatis beatitudo.*

XXXIV. *Beatitudo totius societatis est omnimoda prædictorum omnium, quoad singularis societatis personas panharmonia.* Itaque hæc omnia

&

& singula in judicio symbiotico sunt percurrenda, atque inter se conferenda: hinc quoque oriuntur varii beatitudinis modi ac gradus, prout prædicta eorum congruentia magis minusque augetur vel minuitur.

XXXV. *Beatitudo societatis relata est si congruam habitudinem habeat ad aliam societatem.*

Totum societatis corpus consideratur vel internè vel externè: Internè si ejus partes ac attributa, tum inter se, tum cum ipsa conferantur: Externè si ipsa ejusque membra conferantur cum alia societate, verbi gratia una Republica perfecta cum alia, societas angelica cum societate humana: hinc societatis status vel est internus, qui ipsi per se spectatæ competit: vel externus qui ipsi cum alia collatæ convenit: accuratè tamen loquendo, si omnia referantur ad Deum, non sunt multæ societates, sed una ex diversissimis partibus composita.

Caput III.

De mediis symbioticis in genere.

I. HActenus de fine & subjecto symbioticæ, sequuntur media.

II. *Media symbiotica sunt quibus finis in subjectum introducitur, seu quibus personæ symbioticæ beatæ*

beatæ constituuntur. Media symbiotica considerantur in genere vel in specie.

In genere videnda sunt ipsorum principia & attributa.

Principia mediorum symbioticorum sunt vel ipsorum fontes vel normæ: hæc principia licèt ex parte rei non ubique distinguantur vel à se invicem vel ab ipsis mediis, attamen quia necessariò ab intellectu nostro à se invicem distinguuntur, in doctrina quoque distinguenda sunt.

III. *Fontes mediorum symbioticorum sunt certæ consociabilium affectiones quibus ad societatem apta nata sunt*; de iis notentur axiomata sequentia.

1. Quidquid est, bonum est, & contra.

2, Bonum bono congruit, adeoque est quædam bonorum panharmonia.

3 Omne bonum est communicativum sui modo gradùque proportionali.

4. Bonum repugnat malo, & malum bono.

5. Malorum absentia est bona, & bonorum absentia est mala.

6. Bonum majus delectatur minori, & bonum minus fruitur majori.

7. Bonum majus præferendum est minori, malùmque minus potiùs eligendum quàm majus.

IV. *Affectiones illæ sunt vel personarum, vel rerum consociabilium*: illæ sunt primariæ, hæ secundariæ.

Af-

V. *Affectiones personarum concipiuntur vel per modum affectuum, vel per modum virtutum:* hæc de Deo & creaturis sunt intelligenda analogice: Deoque omnis perfectio tribuenda, imperfectio autem removenda. Cùm enim spiritualia exprimamus plerunque verbis à rebus corporeis sumptis, aut hæc analogia attendenda, aut multa generalia negligenda.

Non omnes autem affectus, nec omnes virtutes Deo analogicè tribui possunt, quia quædam illorum necessariò includunt imperfectionem, ut verecundia, humilitas.

VI. *Per modum affectuum concipiuntur sequentia, amor, charitas, gaudium, voluptas, odium, benevolentia, favor, gratia, misericordia, tum desiderium, spes, tristitia, pœnitentia, zelus,* de quibus varia axiomata, partim metaphysica, partim ethica, partim denique symbiotica, ex congrua combinatione oriuntur.

VII. *Per modum virtutum concipiuntur hæc, constantia, sapientia, prudentia, justitia, communicativitas seu liberalitas, amor, concordia, longanimitas, placabilitas, veracitas, mansuetudo, significandi dexteritas, integritas, synceritas:* qui affectus & virtutes omnes personas ad societatem ineundam, conservandam atque amplificandam inclinant.

VIII. *Affectiones rerum quæ mediorum symbiotiorum sunt fontes, sunt duæ, nimirum earum valor ac proportio.*

Rerum

IX. *Rerum valor est earum vis, quâ personis in agendo possunt subordinari ac inservire*: hæc affectio competit rebus in relatione ad personas. Omnis autem res habent vim, 1. moralem quæ sunt objecta personarum. 2. quædam habent vim efficientem internam, quâ ratione res pleræque agunt in homines.

X. *Rerum proportio est mutua ipsarum inter se habitudo, unde oritur earum permutatio.* Aptitudo ista quo res sunt æstimabiles adeoque inter se permutabiles, oritur ex illa proportione, quam inter se habent respectu personarum symbioticarum.

XI. *Mediorum symbioticorum norma est jus.* Quamvis divinarum actionum nulla proprie loquendo sit norma; nos tamen in ipsarum congruentia expendenda, utimur quasi normâ quadam: hinc Deus dicitur sui ipsius norma.

XII. *Ius est id quod naturæ societatis congruit.* Justitia igitur seu æquitas nihil aliud est quàm consociabilium proportio, quæ quatenus est actionum aut passionum symbioticarum norma, dicitur latissimè sumpto vocabulo, LEX.

XIII. *Ius est naturale vel voluntarium.*

XIV. *Ius naturale est congruentia ipsa consocibilum natura immediatè nixa*: hoc est immutabile, quia rerum naturæ sunt immutabiles: estque juris voluntarii radix; quia natura est radix voluntatis: voluntas libertatis.

XV. *Ius voluntatis est congruentia personæ ordi-*

ordinantis voluntate seu placito immediate nixa; hoc juri naturæ non repugnat sed consentit.

XVI. *Communia mediorum symbioticorum attributa, sunt ipsorum communes affectiones, divisiones & partes.*

XVII. *Communis ipsorum affectio est duplex proportio, quâ & superioribus & sibi invicem sunt proportionalia.*

Hinc fluunt axiomata certissima ac utilissima.

1. Media symbiotica congruunt beatudini.
2. Media symbiotica congruunt personis ac rebus symbioticis, earumque juribus.
3. Media symbiotica congruunt sibi ipsis.

XVIII. *Communes mediorum symbioticorum divisiones sunt variæ, inter quas excellunt sequentes.*

1. Media sunt necessaria vel arbitraria. Illa sunt quæ faciunt ad esse & bene esse societatis: hæc quæ ad melius seu perfecte esse: illi faciunt ad societatis fundationem & conservationem, hæc ad amplificationem.

2 Media sunt communia vel specialia: communia sunt quæ vel pluribus personis conveniunt, vel pluribus scopis aut temporibus inserviunt, hæc quæ certis personis, scopis aut temporibus.

3. Media sunt analoga vel anomala, ordinaria vel extraordinaria, Illa sunt quæ immediatè ac manifestè congruunt; hæc quæ mediatè

diatè & obliquè: huc pertinent ſtratagemata quæ ſparguntur per univerſam ſymbioticam.

4. Media ſunt publica vel privata. Illa reſpiciunt immediatè totam ſocietatem: hæc ſocietatis membra.

5. Media ſunt explicita. Illa ſunt quæ formaliter ſunt talia qualia eſſe ſolent: hæc quæ æquipollent: vide ſupra.

6. Media ſunt primitiva vel derivativa: primitiva ſunt quæ non ſupponunt alia, ſed à quibus alia pendent: derivativa ſunt quæ alia præſupponunt ab iisque pendent. Dantur autem varii mediorum derivativorum modi ac gradus: hinc ſæpius unum idemque medium pro diverſo reſpectu eſt primitivum & derivativum, prout magis minuſve.

7. Media ſunt naturalia vel voluntaria: illa ſunt quæ à natura proficiſcuntur: hæc quæ à libera perſonarum conſtitutione: quæ conſtitutio vel nititur fundamento univerſali, nimirum lege: vel ſingulari, ſcilicet certo perſonæ ſymbioticæ facto.

8. Media ſunt homogenea vel heterogenea: Illa ſunt ejuſdem generis, hæc diverſorum generum: diverſitas hæc eſt varia; vel enim eſt talis ratione vel principii vel objecti vel modi.

9. Media ſunt procurativa vel depulſiva: Illorum ſcopus eſt bonorum ſocietatis promotio, horum, malorum incommodorum remotio.

10. Media vel conſiderantur per ſe, vel ratione

tione ſignorum ſuorum: perſe conſiderantur ratione ſuæ originis ac conſtitutionis, quò pertinent ipſorum partes.

Ratione ſignorum conſideratur ipſorum manifeſtatio & confirmatio.

Frequens eſt illa actionum ſymbioticorum tractatio, quæ externis ſignis vel confirmantur vel amplificantur, exempli gratiâ, juramentis, ſymbolis, ſimilibuſque, quæ ipſorum affectio ſpecialibus diligenter eſt applicanda.

II. Media ſymbiotica conſiderantur vel quâ ſunt actus, vel quâ ſunt ſtatus.

Termini ſymbiotici plerique laborant hac ambiguitate, ſcilicet v.g. bellum conſideratur vel quatenus eſt actus, ipſamet belligeratio, vel quatenus eſt ſtatus, id eſt, belligerantium conditio. Sic ſocietas eſt perpendenda tum quatenus eſt ipſa actualis conſociatio, tum quatenus eſt ſtatus conſociatorum.

XIX. *Hactenus de mediorum ſymbioticorum communibus affectionibus, ſequuntur communes ipſorum partes*, hæ partes, quamvis non ſemper re ipſâ à ſe invicem diſtinguantur, præſertim in divinis, attamen à conceptu noſtro ſemper diſtinguuntur, nec ſine ejuſmodi diſtinctione accuratè à nobis conſiderari poſſunt.

XX: *Communes ipſorum partes haud incommodè revocantur ad ipſorum cognitionem, approbationem ac executionem: ſeu deliberationem & executionem.* Hæ mediorum partes fundantur

tur in natura & facultatibus perſonarum ſymbioticarum : Etenim cum omnis perſona ſymbiotica ſit prædita intellectu, voluntate, & potentiâ executivâ, neceſſe eſt ut omnes actiones ſymbioticæ, illis proportione reſpondeant.

XXI. *Mediorum ſymbioticorum cognitio eſt qua ipſa à perſona cognoſcuntur ſeu apprehenduntur :* Hæc omnium eſt prima, nam praxis nititur Theoriâ, huc pertinet mediorum inventio ſeu excogitatio.

XXII. *Mediorum ſymbioticorum approbatio eſt quâ ipſa ab intellectu dijudicata à voluntate eliguntur*, quæ electio aliquando eſt neceſſaria, aliquando libera.

XXIII, *Mediorum ſymbioticorum executio eſt quâ media cognita & approbata exercentur, ſeu re ipſa producuntur.*

Hæ partes omnes & ſingulæ ſunt in ſpecialibus repetendæ & applicandæ. Sic v. g. in belligeratione aliæ ſunt actiones intellectivæ, aliæ execretivæ ſimul ſumptæ unam actionem collectivam conſtituunt.

Requiruntur autem in perſonis ſymbioticis facultates iis partibus proportionales. Sic in principe aliæ ſunt dotes neceſſariæ ad principalium actuum cognitionem, aliæ ad electionem, aliæ denique ad executionem.

XXIV *In ſingulis igitur mediis ac actionibus ſymbioticis videndum decretum, & executio decreti*, quæ duæ partes ſemper ſibi ſunt proportionales

nales: ista est prior, hæc posterior: illud est internum, hæc quasi externa: illud est instar normæ & causæ exemplaris, hæc instar normæ & causæ exemplaris, hæc instar normati,

XXV. *Decretum est actus voluntatis, quo media ab intellectu præcognita eligit, futuramque actionem destinat.* Hic generalissime usurpamus hanc vocem, ita ut actus voluntatis tam necessarios, quam liberos complectatur.

XXVI. *Executio est actus potentiæ executivæ quo media decreta producit & congruè applicat.* Cum actiones symbioticæ plerumque sint collectivæ, non solum consideranda sunt actiones ultimæ seu scopo proximæ, verum etiam remotæ, vel præcedentes vel præparantes. Sic personarum unio præsupponit earum essentiam; itaque primus personarum fundator efficit non solùm ipsam personarum unionem, sed etiam ipsasmet personas si producibiles sunt producit.

Deinde cum media symbiotica proximè oriantur ex consociabiliũ habitudine, non solum ipsa consideranda sunt quatenus competunt ipsius consideratis relativè seu correlativè, sed etiam quateuns competunt consociabilibus absolutè & sigillatim spectatis: his generalibus dextrè applicatis specialia facilius cognoscuntur, & multiplicantur.

Hactenus de mediis symbioticis in genere; sequitur de iis in specie.

CAP.

CAPUT IV.

De unione symbiotica in genere.

I. MEdium symbioticum est unio vel communio, hæc duo intimè sunt sibi proportionalia: nam unio est radix, communio fructus, omnis enim unio est propter communionē, & omnis communio fluit ex unione, atque si est unio, est quoque commmunio, & vicissim si non est unio non est communio.

Qualis & quanta unio, talis & tanta est communio, & vicissim, si verò hæ regulæ non observentur in societate, tum oritur fallacia seu vitium & in congruentia Symbiotica. Accurate autem est observandum quòd inter hæc duo media sit reciprocatio, quod que aliquando non re sed ratione distinguantur: Nam prima unio est radix pirmæ communionis, & sic deinceps: secunda unioradix est secundæ communnions. Primæ autem unionis radix est unibilitas. Porrò licèt communicatio quoque non rarò sit unio, attamen non est eo modo unio quo communicatio, si strictè & accuratè accipiantur termini.

II. *Vnio est primum medium Symbioticum quo consociabilium habitudo constituitur, seu quo fit ut societas sit*: Hæc si consideretur ut actus, accuratiùs diceretur unitio, quæ nihil est aliud quam consociatio, seu societatis institutio:

ſicut ſtatus eſt ipſius ſocietatis habitudo.

III. *Vnio conſideratur in genere vel in ſpecie*, Nimirum conſociatio conſideratur vel in fieri vel in facto eſſe, ut loquuntur Philoſophi.

IV. *In genere videnda ſunt unionis conjugata, ſcilicet unitiva, unibilia & unionis modi*: Hæc conjugata ipſorumque proportio in omnibus terminis Symbioticis diligenter ſunt repetenda & applicanda.

V. *Vnitiva dicuntur ea quæ vim uniendi habent*, hæc primario ſunt perſonæ: ſecundario etiam res; perſonæ enim ſunt ultimus omnium mediorum ſymbioticorum ſcopus: aliquando tamen res habent vim ſibi uniendi alias res, ſed illa vis fundatur in jure perſonarum.

VI. *Vnibilia ſunt perſonæ, res & actiones ſymbioticæ.* Varia hinc oritur unionum combinatio: nam uniuntur perſonæ perſonis, res vel actiones rebus; res vel actiones actionibus, actionibus denique actiones.

VII. *Vnionis modi ſunt conſiderandi quoad communes ſuas partes ac diviſiones.*

Communes unionis partes poſſunt peti ex generalibus ſupra poſitis: ſunt autem obſervandæ ut cognitio ſocietatis ſit facilior & accuratior.

VIII. *Vnionis ſymbioticæ communes diviſiones frequentiſſimæ ſunt duæ*, 1. Quod ſit immediata vel mediata: 2. Quod ſit vel uniendorum procuratio: vel procuratorum conjunctio.

Vnio

IX. *Vnio immediata est in qua nihil intercedit inter uniendos, sed immediatè inter se uniuntur.* Nihil inquam heterogenei seu diversi generis: nam in omni unione requiritur aliquid uniendum vel juris vel facti.

X. *Vnio mediata est quæ fit mediante tertio, seu quæ ab alia unione fluit*: hujus varii dantur modi & gradus. Nam illud tertium connectens extrema potest esse duplex, triplex & sic deinceps: sic aliquando uniuntur personæ mediante personâ aliâ ut legans mediante legato unitur, vel mediante re. Sic cohæredes uniuntur mediante hæreditate: item res unitur rei, vel personâ vel re aliqua mediante: hinc fit ut sæpius fiat unio in societate, licèt disertè unita eam non intenderint vi istius principii; quæ in uno tertio conveniunt, ea inter se conveniunt.

XI. *Vniendorum procuratio est qua fit ut unienda sint & porrò sint*: Hæc est antecedens unionis si stricte sumatur unio, nec semper requiritur, quia unienda non rarò dantur ac præsupponuntur, quid enim ut fiat, summè sunt necessaria; unire enim præsupponit esse & existere.

XII. *Vniendorum procuratio est eorundem productio vel conservatio*: Hæc duo aliquando re, aliquando verò ratione tantùm interse differunt. Similiter etiam producentia & conservantia.

XIII, *Productio est actio quâ fit ut unienda prius sint seu existant*: Hæc est prima actio

Symbiotica reliquarumque fons est basis, unde non rarò sequentes sub se complectitur: & omninò generalissimè loquendo: omnis omnino personarum rerumque unio & communio ex eo fluit quòd tota universitas unum agnoscat primum principium, comprehenditur autem sub eo productio.

XIV. *Conservatio est actio quâ fit ut unienda porrò sint seu durent.* Nimirum ita sint ut intrinseca ipsorum principia, si ea habeant, & si attributa, sarta texta maneant; huc pertinet restauratio; atque hæc est secunda societatis columna.

XV. *Procuratorum conjunctio est ipsa uniendorum consociatio:* Atque hæc propriissime dicitur unio; procuratio namque est quasi quædam ad eam præparatio: hæc etiam consociatio est perpendenda, tum ratione unientis seu consociantis, tum ratione unitorum, seu consociatorum, qui quidem duplex respectus etiam in præcedentibus est observandus, sed non est tam evidens ac necessarius in illis.

XVI. *Hæc consociatio ratione unientis dicitur acquisitio*: Acquisitio est unio quâ aliquid fit nostrum: nostrum est quod nobis unitum est: unde communissimum dicitur respectu omnium consentaneorum tam ortorum quàm primorum, tam comparatorum quam simplicium.

XVII. *Acquisitionis videnda sunt communes affectiones & divisiones.*

XVIII.

XVIII. *Communes affectiones comprehenduntur his tribus.*

1. Ut acquirens habeat jus acquirendi, neque enim quilibet potest acquirere quodlibet.

2. Ut res acquirenda possit acquiri: neque enim omnis res potest acquiri præsertim quovis modo.

3. Ut acquisitio debito modo fiat.

XIX. *Commmnes acquisitionis divisiones usitatiores sunt.*

1. Acquisitio est simpex vel composita: illa est quæ tantùm fundatur in jure acquirentis & in acquisiti jure fundatur. Unde illa potest dici non mutua, hæc mutua, *μονόπλευρος* & *δίπλευρος*.

2. Acquisitio est originaria vel derivativa.

Acquisitio originaria est cùm aliquid acquiritur quod non est alterius, seu cùm id acquiritur quod est nullius. Ad hanc sufficit si immediatè ante acquisitionem res fuerit nullius, etiam si longè ante alicujus fuerit, quales sunt res derelictæ.

Acquisitio derivativa est cùm aliquid acquiritur quod est alterius, nihilque est aliud quàm alienatio.

Alienatio est acquisitio quâ quod fuit unius fit alterius; ejus partes duæ sunt Traditio & Apprehensio.

Traditio est justa ejus qui rei dandæ jus habet datio seu communicatio, sive immediatè

ipſe dominus tradat, ſive alius eo nomine: huc pertinent regulæ illæ: dare ſupponit habere: nemo poteſt in alium plus juris transferre, quàm ipſe habeat. Quod quis non habet in alium transferre nequit.

Apprehenſio eſt juſta ejus qui rei acquirendæ jus habet acceptio: hæ duæ partes ſunt ſimpliciter neceſſariæ in omni acquiſitione.

Ubi enim eſt communicatio, ibi eſt datio & acceptio, ſuntque relativa & mutuâ proportione ſibi reſpondent: hinc oritur Titulus.

Titulus eſt juſta traditionis cauſa vel occaſio; hæc ſemper naturâ, aliquando etiam tempore antecedit ipſam traditionem.

Titulus ille eſt communis vel ſingularis.

Titulus communis eſt qui communi jure nititur, adeoque pluribus competit, ſic univerſi Cives habent jus ad bona Civitatis.

Titulus ſingularis eſt qui alicui eſt proprius & ſingulari jure nititur. Hinc acquiſitio ratione juris & originis eſt communis vel ſingularis: illa eſt quæ communi, hæc quæ ſingulari jure nititur.

3. Acquiſitio eſt plena vel non plena: acquiſitio plena eſt quâ omnimode aliquid ſit noſtrum. Sic poteſt aliquid noſtrum eſſe ratione dominij, ratione certi uſus; licèt non ratione omnis: ſic itaque plures perſonæ poſſunt habere jus in eandem perſonam vel rem.

4. Acquiſitio eſt primaria vel ſecundaria: acqui

quisitio primaria est qua primario jure aliquid fit nostrum: estque rei acquirendæ productio, hæc est prima & potissima radix acquisitionis, sive persona sive res nostra fiat: Naturæ quippe & rationi maximè est consentaneum, ut res producta sit producentis, prout autem res aliqua magis minusve producit aliquid, eò magis minusve est ipsius. Sic cum divina productio sit omnium perfectissima, etiam talis erit unio personarum: hinc quoque causatum est causa: prout autem res funguntur majoris minorisve causæ munere, ita etiam majus minusve habebunt. Sic quod omnium causarum est instar habet jus in rem productam planè absolutum, tum causa quasi causa finalis, efficiens, principalis, formalis, vel quasi tum denique materialis: huc pertinet quoque conservatio.

Hoc autem jus non tantùm se exerit immediatè, sed etiam mediatè: sic non solùm id quod produximus est nostrum, sed etiam quod produxit id quod nostrum est, nec solùm id nostrum quod immediatè nosipsi produximus, sed quod etiam instrumenta nostra produxerunt, seu res quas causa finalis sibi acquirit.

Hoc titulo nititur dominium humanum in corpora naturalia; ita enim omnia Deus propter hominem produxit: sic itaque homo est illorum causa: unde sequitur res eas

quæ ad omnium hominum usum conditæ sunt ac sufficiunt non posse unius fieri proprias.

Res quæ unius hominis propriæ sunt, si possessor non indigeat ab alio homine in usum à necessitate posse usurpari: ita tamen ut maneat obligatio ad restitutionem possibilem.

XX. *Acquisitio secundaria est quâ secundario jure aliquid fit nostrum.*

Hæc acquisitio licèt latissime pateat, adeoque vix ad certa capita revocari possit, videtur tamen quòd productione nitatur, adeoque majòr minorve est, prout productione est prior. Acquisitio igitur secundaria est quâ aliquid ab alio productum acquirimus. hæc nihil est aliud quàm quædam rerum æquiparatio, vel permutatio generalissimè sumpto vocabulo.

Æquiparatio est symbiotica unio quâ alia ab ipsismet producentibus vel productis habentur pro iis: hæc latissimè spargitur per universam symbioticam, est enim æquiparatio personarum, rerum, & factorum seu operationum, eaque homogenea, vel heterogenea.

XXI. *Æquiparatio illa consideratur vel absolutè in se, vel relativè ratione confirmationis suæ.*

Absolutè consideratur vel in genere vel in specie.

Divisiones generales æquiparationis possunt peti ex superioribus ex quibus excellunt sequentes. Ex

Ex hac divisionum generalium combinatione inter se oriuntur speciales: ideoque ex ipsorum observatione, modorum varietas haud difficulter ad summa capita revocatur.

1. Estque simplex vel mixta: simplex quæ uno jure seu unione nititur: mixta quæ vario jure seu unione nititur. Et mixta est homogenea vel heterogenea: sic possunt aliquid habere & jure donationis & jure emptionis: mixtio autem hæc est infinita. Unde jurisconsulti per contractus nominatos exprimere voluerunt.

2. Est naturalis vel libera.

Æquiparatio naturalis est unio quæ ipsâ naturâ nititur, sic naturâ ipsâ liberi sunt unâ cum parentibus.

Æquiparatio libera est unio quæ sociorum arbitrio nititur scilicet proximè: primum enim in ipsa natura fundatur, sic legatus est una persona cum legante,

Æquiparatio libera est vel legis vel facti. Æquiparatio legis est, quæ communi societatis adeoque membri tacito consensu nititur. Hæc æquiparatio est inter ea quæ hic statuit esse æqualia: sic lex statuit unionem inter personas & personas, inter res & res, sæpe ipsis personis unitis invitis: æquiparatio personæ est quæ alicujus personæ expresso consensu nititur: unde ex æquiparatione oritur obligatio.

Obligatio generalissimè sumpta est unio

 sym-

ſymbiotica quâ aliquis aliquid alicui debet: debere ejuſmodi dicit reſpectum ut in debitum fiat, ne aliqua incongruentia oriatur: in omni obligatione eſt creditor & debitor: hæc enim duo ſunt relata.

Creditor eſt is cui debetur ex obligatione.

Debitor eſt is qui debet.

Non rarò autem occurrit combinatio & creditorum & debitorum, ita ut ſint plures creditores & debitores.

Obligationis videnda eſt conſtitutio & diſſolutio: conſtitutio obligationis eſt in quam obligatio inſtituitur ac continuatur: hæc igitur perpendit obligationis productionem & conſervationem.

Conſtitutio obligationis conſideratur in genere vel in ſpecie.

In genere ſpectantur ejus generales fontes & modi.

Generales fontes obligationis ſunt duo, jus & factum,

Jus eſt obligationis cauſa remota & communis, nihilque eſt aliud quàm ſocietatis proportio: hinc prout jus verum eſt, ita & obligatio: ſic eſt obligatio jure naturæ, gentium, civili aut divino nitens.

Factum eſt ſymbiotica hominis actio aut paſſio: hic enim generaliter ſumitur factum hominis prout ſupra cap. 2. Theſ. 23. quæ etiam hic repetenda.

Factum

Factum hoc cum sit symbioticum, debet esse voluntarium, cumque sit plurium vinculum necessaria est ejus voluntatis significatio.

Significatio hic est voluntatis externis signis facta expressio: Estque præcedens factum vel consequens.

Factum præcedens est promissio vel comminatio.

Promissio est assertio de futuro bono ejus cui significatur: huc pertinet illud, promissiones cadunt in debitum.

Est autem promissio revocabilis vel irrevocabilis.

Comminatio est assertio de futuro malo ejus cui significatur.

Factum consequens (significatio) est ratihabitudo.

Ratihabitudo est facti ab alio præstiti consequens comprobatio: hoc factum quidem tempore sequitur, sed jure retrahitur ad ipsum tempus facti.

Modi obligationis generales sumuntur vel ab obligatis, vel ab obligationis scopo.

Ratione obligatorum est immediata vel mediata: illa est si ipse qui obligatur facta præstet; hæc est si alius obligetur, alius factum præstet: talis est, cum herus obligatur propter famulos, parentes propter liberos.

Ratione scopi obligatio tendit vel ad com-

mune obligatorum bonum, vel ad quorundam tantùm; 1. est mutua vel non mutua. 2. est simplex vel combinata: simplex ut do ut des, do ut facias, rursus facio ut facias, facio ut des. Combinata verò est ex alterutro do & facio ut des: vel do & facio ut facias, vel facio ut des & facias: vel ex utraque, ut, do & facio ut des & facias: ex his oriuntur omnes obligationes tam simplices quàm mixtæ, tam nominatæ quàm innominatæ, quæ possuut esse infinitæ, ideoque diligenter ad has sunt revocandæ: observa autem hic per facere intelligi etiam pati.

Qbligatio in specie est conventio vel delictum: nam factum symbioticum est congruum vel incongruum, ibi aliquando est vinculum juris una cum consensu, hic sufficit solùm juris vinculum invito quoque obligato.

Conventio est plurium in idem consensus; per plures hic etiam intelliguntur duo, in idem scilicet dandi vel faciendi causa sigillatim vel conjunctim. In hac maxima requiritur fides scilicet ea quæ res promissas præstat.

Conventio est simplex vel composita seu mixta.

Convnt io simplex est quæ simplici fundamento nititur: unoque modo nititur: hæc est radix & mensura compositæ.

Conventio simplex merè benefica est quæ solâ se obligantis liberalitate nititur. Ea in præsens absolvitur, vel in futurum pertinet. In præsens absolvitur donatio. Do-

Donatio est acquisitio ex sola donantis liberalitate proveniens: huc pertinet factum aliquod utile quo ex puro amore vel favore aliis profumus.

Conventio merè benefica in futurum pertinens est pollicitatio; quæ est promissio ex sola ejus qui obligatur liberalitate profecta. Hic nota promissionem sumi generaliter; sic se ad omnes sequentes actus extendit, de quibus supra: vel specialiter. Ut autem pollicitatio jus transferat, acceptio hic non minus quàm in dominii translatione requiritur, ita tamen ut præcedens rogatio, etiam durare intelligatur, ac vim habeat acceptationis.

Conventio cum mutua obligatione conjuncta dandi aliquid vel faciendi causa, alias dicitur contractus.

Pactum aliquando specialius sumitur quatenus distinguitur à contractu strictè dicto, sicq; nihil est aliud quam conventio nudo placiti fine sistens.

Pactum dividitur generaliter vel specialiter.

Generaliter pactum est æquale vel inæquale, & est privatum vel publicum.

Pactum æquale quod obligat ad æqualia, adeoque utrumque eodem modo se habet.

Pactum inæquale est quod vel inæquales vel ad inæqualia obligat, hoc se non habet utrinque modo eodem.

Pactum publicum est quod à tota societate initur.

Pa-

Pactum privatum eſt quod à membro ſocietatis initur.

Eſtque fœdus vel ſponſio.

Fœdus eſt pactum à ſumma ſocietatis parte initum, ſi nimirum ſtrictè ſumatur, alias generaliter eſt idem quod pactum.

Sponſio eſt pactum quo quis aliquid alio nomine promittit: ſponſio ſumitur generaliſſime pro quacunque promiſſione; vel generaliter ut hic, vel ſpecialiter, præſertim apud publicos pro pacto: quo ſi hi à poteſtate ſumma ejus rei mandatum non habent, aliquid promittunt, illam enim proprie concernit.

Specialiter pactum eſt ſimplex vel permutativum.

Pactum ſimplex eſt quod hic vocamus quo alterutrum tantum obligatorum aliquid acquirit, eſtque commodatio vel operæ præſtatio.

Commodatio eſt contractus quo aliquid gratuito utendum alicui concedit, ut ipſummet in ſpecie reſtituatur. Hæc plerumque eſt rei, aliquando perſonæ. Eſt itaque conceſſio uſus perſonæ, vel rei ſine alienatione.

Præſtatio operæ eſt actio ex pacto obligante profecta, ubi excellit mandatum, & negotii adminiſtratatio.

Mandatum eſt contractus de faciendo aliquod gratuitò, hoc qui dat, mandans ſeu mandator; qui faciendum ſuſcipit, mandatorius dicitur. Accipitur autem mandatum generaliter,

ter, quatenus tam æqualibus quàm inæqualibus convenit, secus inferius, ubi tantùm superior mandat inservire inferiori. Mandati species est depositum.

Depositum est mandatum quo res gratis datur custodienda ut eadem in specie restituatur, quandocunque libuerit deponenti, seu est præstatio operæ in re custodienda. Dans rem custodiendam, deponens, accipiens, depositarius dicitur, huc pertinet sequestratio quæ est rerum litigosa depositio: nota quòd sub re hic intelligatur etiam persona.

Negotii administratio est expeditio negotii alieni sine mandato domini facta, seu est operæ sumptuosæ præstatio sine pacto expresso.

In hoc contractu non est consensus expressus, sed tacitus, ab ipsâ lege, ut loquuntur, fictus unde dicitur contractus improprius; huc pertinet negotiorum gestio, quæ est contractus improprius, quo aliquis alterius ignorantis negotium sponte suscipit gerendum.

Hactenus de pacto simplici seu modo, sequitur pactum seu contractus permutatorius, in quo uterque obligatorum aliquid acquirit.

Contractus permutatorius est diremptorius vel communicatorius. Etiam diremptorius est communicatorius, sed alio modo, quia non respicit ulteriorem, quàm eam quæ in ipso contractu includitur. Con-

Contractus diremptorius est triplex, vel enim dat ut detur, vel facit aliquid ut faciat aliquid: vel facit aliquid ut detur aliquid.

Contractus diremptorius primi generis est mutua datio, quâ nimirum aliquid datur & vicissim accipitur. Hic itaque maximè evidens est expletio.

Res autem quæ dari possunt & solent adeoque inter se æquiparari, sunt duplicis generis, nimirum res primariò sic dictæ, pretium & usus earum.

Res primariò sic dictę hic sunt illę quę primarium sunt communicationis objectum adeòq; comprehendunt sub se personas & res, quæ possunt distinctionis causâ vocari principales, uno verbo sunt res quæ nec pretium sunt nec rerum usus.

Pretium dicitur res certæ quantitatis seu gradus, quæ est generale æquiparationis instrumentum & mensura, hinc plerumque est pecunia numerata certa & taxatæ quantitatis: quidquid igitur vel pecunia est, vel pecuniæ analogicè respondet, hic vocatur pretium.

Est autem plerumque res, primò magni in se valoris: deinde facile communicabilis, adeoque societatis quasi vinculum quoddam, & cùm alia res non tam facilè communicari queunt, hæc pro ipsis substituatur, unde etiam habetur pro mensura quadam symbiotica.

Taxatio seu æstimatio est certa pretii designatio.

Usus

Usus rei est quævis commoditas à re ad aliquam redundans, à re scilicet generaliter sumpta, adeòque à re vel persona.

Uti autem nihil est quàm rem aliquam ad finem ordinatum adhibere.

Usus est plenus vel non plenus: usus non plenus est usus rei definitus ac determinatus cum certo modo & gradu re utimur: hinc in specie dicitur usus rei ad necessitatem re manente salva & integra.

Usus rei plenus est usus fructus qui est usus rei ad voluptatem remanente salva & integra. Usus rei generaliter distinguitur ab usu qui est usus rem consumens vel deteriorem reddens.

Contractus diremptorius primi generis vel dat ut statim aliquid reddatur, vel dat ut detur aliquid interposito tempore.

Contractus qui dat aliquid ut statim reddatur aliquid, vel dat ali uid pro re vel pretio rerum, qui dat aliquid pro re est permutatio, emptio, venditio, vel datio usus pro re.

Permutatio strictè dicta est contractus diremptorius quo res primariò sic dicta cum alia re commutatur seu æquiparatur, verbi gratia si detur persona, famulus pro famulo.

Emptio, venditio, est contractus diremptorius quo res aliqua certo pretio acquiritur: acquirens dicitur emptor, dans venditor.

Redemptio est emptio vel venditio quâ res alienata à priori domino denuò acquiritur: ubi excellit lytrum. Ly-

Lytrum eſt pretium redemptionis à captivitate; per rem intellige & perſonam, & rem ſtrictè dictam.

Datio uſus pro re eſt contractus diremptorius quo uſus alicujus rei pro re aliqua datur: hæc pro uſuum varietate variat.

Contractus pro pretio rerum eſt cùm acquiritur pretium: Eſtque pretiorum commutatio, vel realis locatio, conductio.

Pretiorum commutatio eſt contractus diremptorius quo pretium cum pretio æquiparatur, ſeu quo pretium aliquod mediante alio pretio acquiritur. Ejus ſpecies eſt collybus ſeu cambium.

Cambium eſt pretiorum commutatio, quâ pecunia datur pro pecunia: huic analogicè reſpondet permutatio quædam pretiorum in Theologicis; ut cùm ſanguis expiatorius datur pro ſanguine.

Realis locatio, conductio, eſt contractus quo uſus rei pro pretio conceditur, verbi gratia, locatio ædium, agri.

Contractus qui poſtulat ut interpoſito tempore aliquid reddatur, dicitur mutuum.

Mutuum ſive mutatio eſt contractus diremtorius, quo rem ita damus ut accipiens eandem reddat, in genere, non verò in ſpecie. Genus hic ſignificat ſpeciem logicè dictam, ſpecies verò individuum.

Is qui dat dicitur mutuans, qui accipit mu-

mutuatorius; datur autem res illa mutuò quæ certâ quantitate seu gradu designari potest.

Contractus qui est æquiparatio facti, seu permutatio, nimirum quâ quis aliquid facit ut alius aliquid faciat; innumeras habet species: permutantur autem inter se facta publica vel privata.

Contractus est quo quis aliquid facit ut aliquid detur: estque triplex; vel enim ęquiparatur facto rei, vel pretio, vel denique usui rei.

Contractus quo factum æquiparatur pretio, dicitur locatio, conductio personalis.

Locatio, conductio personalis est contractus diremptorius certâ mercede aliquid faciendi. Is qui dat dicitur locator, qui verò accipit, conductor. Oportet autem ut, is qui locat, operam suam locet eam precipuè viribus suis, & aliàs conductori indebitam.

Merces est certum ac definitum pro opera præstita pretium.

Contractus permutatorius, communicatorius, dicitur societas.

Societas hic est contractus permutatorius de aliquo communiter utrinque habendo: hæc igitur est contractus quo vel res vel personæ, vel facta mutuò communicantur; ut inde aliquid communiter acquiratur.

Ejus igitur scopus est communis societatis utilitas: Talis est societatis bellica, opificum, mer-

mercatorum. In ſocietate itaque omni ſpectatur lucrum, ſed aliquando inde emergit damnum.

Lucrum eſt commodum quod deducto damno & impenſis præter ſortem, id eſt bona in ſocietatem collata ſupereſt.

Damnum eſt quod deductis impenſis ſorti in bonis collatis deeſt: Itaque qui vult eſſe particeps lucri, etiam damni ſit particeps.

Hactenus de conventione ſimplici, ſequitur compoſita ſeu mixta.

Conventio mixta eſt quæ vario fundamento nititur, vel vario modo.

Conventio mixta eſt aut principaliter aut per acceſſionem alterius.

Illa eſt ſi ipſamet principalis conventio ſit mixta, verbi gratia ſi ſciens aliquid majoris emam, reliquum venditori condonem. Sic fundus fœnus eſt contractus mixtus ex benefica pactione operæ, emphiteuſi: ſic fœnus Nauticum eſt contractus mixtus ex contractu mutati & periculi averſi.

Conventio mixta per acceſſionem eſt quando ipſi alia conventio tanquam minùs principalis additur, ut in fidejuſſione & pignoris datione evenit,

Hucuſque de obligatione quæ oritur ex conventione, ſequitur obligatio que oritur ex delicto.

De-

Deliƈtum eſt faƈtum ſocietati incongruum ſeu adverſum, vel offenſio contra jus illata, uno verbo maleficium.

Cùm omne deliƈtum ſocietati damnum inferat, delinquens eo ipſo quo delinquit, ſe ad reſtitutionem ſeu damni compenſationem tacito conſenſu à lege facto obligat, & quidem ad pœnam, de qua infra.

Deliƈtum in genere eſt verum vel quaſi: publicum vel privatum.

Deliƈta vera propria ſunt deliƈta delinquentis dolo admiſſa. In his igitur vel occurrit malitia voluntatis: vel ignorantia affeƈtata.

Deliƈtum quaſi, improprium eſt deliƈtum ſine dolo ejus qui ex eo tenetur commiſſum, aliquâ tamen ipſius culpâ: hoc vel committitur ab eo qui tenetur, vel ab eo ipſi vinculo quodam ſymbiotico junƈto, ut deliƈtum à filio, ſervo vel quadrupede faƈtum.

Deliƈtum publicum eſt offenſio ſocietatis ſeu Reſpublicæ, ſive perſona ſive Reſpublica offendatur.

Deliƈtum privatum eſt offenſio membri ſocietatis ſeu perſonæ aut rei privatæ.

Specialis deliƈtorum enumeratio pertinet ad ſymbioticam ſpecialē, cùm non in omni ſocietate vel diliƈtum vel quodcunque deliƈtum locum habere queat.

Sic fuit obligationis conſtitutio, ſequitur ejus diſſolutio, quæ eſt liberatio ab obligatione.

Libe-

Liberatio eſt obligationis jure conſtitutæ jurefacta diſſolutio.

Non igitur hic intelligitur diſſolutio obligationis injuſta, ſed juſta, ſecus ſemper jure manet obligatio,

Liberatio fit ſatisfactione.

Satisfactio eſt ejus quod in obligatione conſtituta intelligitur ac debetur præſtatio.

Modi liberationis ſunt communes vel proprii.

Communes ſunt quibus & conventio & delictum diſſolvitur, ſeu quibus ab utriuſque obligatione aliquis liberari poteſt.

Modi liberationis communes ſe tenent vel ex parte debiti, vel ex parte obligatorum.

Ex parte debiti ſe tenent ſolutio & compenſatio.

Solutio eſt ſatisfactio naturali debiti ſatisfactione facta: debiti ſive primarii ſive ſecundarii, ſeu inde orti: Naturalis, id eſt, realis & plena, cui opponitur ficta & imaginaria, qua aliquid intervenit quod eſt vice præſtationis: per præſtationem hic intelligitur & actio & paſſio, atque hic eſt potiſſimus ſatisfactionis modus.

In ſolutione perpendendæ ſunt perſonæ, res ſolvenda & modus ſolvendi.

Perſona eſt vel creditor cui debetur: vel debitor à quo ſolvi debebit. In obligatione alternata electio eſt debitoris, uterque ſolvit.

Com-

Compenſatio eſt debiti ultrò citròque facta comparatio. Compenſatione utitur qui viciſſim ſibi obligatum habet eum qui petit, verbi gratiâ, Mævius Titio debebat 100. florenos, Titius autem Mævio 50. Mævius revera tantùm debet 50.

Ex omni autem obligatione compenſatio rectè fit ſi debitum utrinque ſit liquidum, atque inter ſe æſtimari ac functionem recipere, eorumque circumſtantiarum diverſitas inter ſe æquari queant.

Liberatio quæ fit ex parte obligatorum, vel ſe tenet ex parte utriuſque, ſcilicet creditoris & debitoris: vel ex parte alterius tantùm.

Ea quæ ſe tenet ex parte utriuſque, eſt Novatio vel Tranſactio.

Novatio eſt prioris debiti ad aliam obligationem tranſlatio. In hac obligatio æquiparatur obligationi.

Novatio eſt ſimplex vel mixta.

Novatio ſimplex eſt quâ prioris obligationis cauſâ ſtatus mutatur manentibus iiſdem perſonis, ut ſi id quod mihi ante exemptione, venditione debebatur, jam ex mutuo debetur.

Novatio mixta eſt quâ obligationis cauſâ mutatâ mutantur contrahentes, & quidem uterque vel alteruter ex illis.

Perſonarum mutatio fit delegatione.

Delegatio eſt mandatum quo creditor debitorem jubet id quod ſibi debet, promittere alteri,

teri, cui si debitor pareat à priori creditione liberatur.

Transactio est rei dubiæ definitio seu decisio dato aliquo, & aliquo retento.

Hæc semper est de persona vel re aliqua controversa quando obligatio non est liquida, & requiritur ut uterque aliquid de jure suo quod prætendit, remittat.

Liberatio quæ se tenet ex parte alterius obligatorum est acceptilatio vel confusio.

Acceptulatio est stipulatio quâ creditor debitum accepto fert. Accepto ferre est aliquid pro accepto habere, quod revera non accepit.

Acceptilatio itaque est solutio imaginaria & plenam naturalem seu realem debiti præstationem excludit: sed sola creditoris benevolentia nititur, ideò tantùm ex parte ejus se tenet.

Acceptilatio est plena cùm debitum universum absolutè accepto refertur, vel non plena, cùm aliqua pars debiti, vel totum quidem debitum, sed sub alia quadam minori tamen obligatione accepto refertur.

Confusio est obligationis liberatio quâ debitor creditori, vel creditor debitori hæres existit, vel tertius utrique. Ratio est quia nemo sibi ipsi aliquid debet.

Hactenus fuerunt modi absolutionis communes: sequuntur speciales quibus obli-

obligatio vel ex conventione, vel ex debito orta dissolvitur.

Obligatio conventionis solvitur præstatione ejus quod debetur, modis supra dictis: hæc præstatio pertinet ad communicationem obligationi respondentem.

Obligatio orta ex delicto est quæ dissolvitur pœnâ.

Pœna est malum passionis quod infligitur ob malum actionis. Etsi enim loco pœnæ opera quædam aliquando injungi soleant, ea tamen opera non spectantur quatenus opera sunt, sed quâ molesta.

In pœna autem consideranda sunt duo, materiale & formale.

Materiale est cruciatus seu incongruus personæ status.

Formale consistit in vindicta quâ ob peccatũ malum passionis infligitur ut satisfiat justitiæ. Ad pœnam etiam pertinet mors, quæ est cessatio delinquentis: hæc pro varia societate variat, unde in summa societate morte delinquentis delictum extinguitur.

Huc usque de æquiparatione quatenus illa in se absolutè consideratur, sequitur consideratio ipsius relata, qua perpenditur ipsius confirmatio.

Confirmatio obligationis est major ejus gra-

dus, seu major firmiorque ejus expressio: hæc non facit ad obligatonis essentiam, sed ad ejus excellentiam confirmatio obligationis, vel consistit in modo significandi efficaciore: vel in obligatione compositiore

Ex modo significandi efficaciore oritur stipulatio, contractus literarum & juramentum.

Stipulatio est contractus verbis initus, interrogatione præcedente, eamque congruâ responsione subsequente.

Hæc cùm per se non adhibeatur, sed alii contractui addatur, erit dandi vel faciendi causa. Creditor hic est interrogans, respondens est debitor, promissor: frequens autem est stipulatio in fœderibus.

Contractus literarum est obligatio quâ quis chirographo suo fatetur se ex certâ causâ illi cui chirographum dedit obligari: huc pertinent sigilla, similiaque efficacia confirmandi signa: adeoque per analogiam huc referenda sunt sacramenta, aliæque ceremoniæ conventionem aliquam significantes & signantes.

Juramentum est asseveratio divina patefactione nixa, hæc vel omnes perfectiones divinas, vel aliquas tantùm obligat, estque firmissimus confirmandi modus, adeoque omnis controversiæ terminus.

Juramentum est assertoriũ vel promissorium. Illud quo quis asseverat se hoc vel illud facturũ.

Confirmatio quæ consistit in obligationis com-

compoſitione, eſt fidejuſſio vel pignus.

Fidejuſſio eſt ſtipulatio quâ quis ſtipulanti pro debitore promittit ſuo nomine, ſalva manente obligatione debitoris principalis, ut debitum ipſi tanto ſit tutius: hæc eſt quaſi obligationis duplicatio. Promiſſor hic vocatur ſponſor: In ea enim creditor ſibi habet duos obligatos ad ſolvendum nomine unius debiti; duplex autem eſt ſponſionis ratio, alia ad creditorem, alia ad principalem ac primum debitorem: ſic Chriſtus fuit ſponſor noſter: ſponſore autem ſatisfaciente debitor liberatur ab obligatione creditoris, licèt non liberetur à ſponſore.

Pignus eſt conventio quâ creditoris jus in rem debitoris conſtituitur, ut debitum ipſi ſit tantò tutius.

Pignus ſignificat & conventionem ipſam & jus ex illa conventione in eum ortum, & ipſam rem in qua jus conſtituitur.

Pignus recuperatur luitione.

Luitio eſt debiti in ſolidum factâ exſolutione pignoris recuperatio.

Pignoris ſpecies eſt arrha quæ eſt pignus in obligationis probationem & confirmationem ante præſtationis tempus exhibitum; hinc obligatione præſtitâ aut redditur debitori, aut in partem debiti retinetur, unde plerumque ſolet eſſe ejuſdem generis cujus debitum, adeoque pars rei ſolvendæ.

Ex fide jussionis & pignoris combinatione oritur obses.

Obses est persona pro aliqua persona vel re fidejubens, sequitur in creditoris potestatem tam diu tradens donec obligatio præstetur, atque sic se habent modi confirmandi obligationem simpliciter, non rarò autem vel aliqui vel omnes concurrunt. Sic Deus in fœdere suo cum hominibus & stipulationem, & sigilla & juramentum & fidejussionem, denique arrhabonem adhibet.

CAPUT V.

De unione symbiotica in specie.

HActenus egimus de unione symbiotica in genere, sequitur de ea in specie.

Quamvis modi supra traditi, aliquando in personarum, aliquando in rerum unione sint frequentiores, attamen naturâ suâ utrique inservire queunt, ideoque in genere fuerunt explicandi.

Unio symbiotica in specie est simplex vel mixta.

Simplex quâ inter symbiotica ejusdem generis habitudo symbiotica constituitur.

Estque personalis vel realis.

Per-

Personalis est quâ habitudo symbiotica inter personas constituitur: hæc est potissima quia personæ sunt principale societatis objectum.

Ea consideratur in genere vel in specie.

In genere videbimus ejus communes divisiones quæ se immeant, ejus affectio est quod personarum sociatarum naturæ & attributis convenire debeat.

Communiter dividitur, 1. quod sit coordinatio vel subordinatio: 2. publica vel privata.

Coordinatio est societas seu unio symbiotica personarum æqualium; æqualium scilicet ratione attributorum symbioticorum; atque hæc strictè dicitur consociatio.

Subordinatio est societas seu unio symbiotica personarum inæqualium, in ea occurrit præses & subjectus, Præses est persona superior seu ordinans, cui alia se debet conformare, aliàs dicitur Dominus, generalitur sumpto vocabulo.

Subjectus generaliter sumpto vocabulo, est persona inferior seu ordinata, quæ se debet conformare alteri.

Præsidi competit authoritas.

Authoritas est personæ dignitas ac potestas alias gubernandi, seu est dignitas personæ, quâ alia ei se conformare debet.

Gubernare est personam congruè ad finem suum ordinare: gubernantur autem primario

personæ; secundario res symbioticæ.

Unio personarum publica est societas personarum immediatè totius societatis salutem respiciens.

Unio personarum privata est societas personarum proximè membrorum salutem respiciens.

Ex his divisionibus oritur officium aliæque quædam generales personarum affectiones

Officium generaliter est obligatio personæ ad actum symbioticum.

Officium symbioticum est præsidis vel subditorum.

Officium præsidis semper est cum dignitate conjunctum, subditi non item.

Officium præsidis & subditorum sibi mutuò respondent.

Officium præsidis est imperium: Officium subditorum est generale vel speciale. Officium subditorum per excellentiam solet dici officium.

Imperium seu imperare generaliter est symbioticæ societatis beatitudinem cum authoritate ordinare.

Officium subditorum generale est obedientia.

Obedientia est officium subditorum quo se conformant imperio præsidis: Est igitur concordantia inferioris cum voluntate superioris.

Concordantia inquam moralis & voluntaria,

ria, non naturalis & coacta, per analogiam tamen inanimata & bruta dicuntur obedire.

Officium subditorum speciale est ministerium.

Ministerium est officium subditi ad specialem quandum actionem symbioticam, hoc pro varietate societatum & modorum agendi est varium: Ministri autem solent dici officiarii.

In officio videnda est vocatio & functio.

Vocatio hic est personæ ad officium designatio: sive est deliberatio de persona aliqua ad officium ordinanda.

Deliberatio hic sumitur generaliter quatenus & approbationem & significationem oblatio complectitur. In hac occurrunt duo actus, unus ex parte vocantis, alter ex parte vocati acceptatio.

Officii functio est officii acceptati executio.

Vocatio itaque pertinet ad officii constitutionem, adeoque ad unionem, functio ad communionem.

Ad officium præsidis pertinet magistratus.

Magistratus est præses publicus, strictè magistratus sumitur apud Romanos pro ministro publico, seu pro magistratu non summo.

Magistratus potestas symbiotica est vis statuendi aliquid de negotio symbiotico: hæc semper est proportionalis magistratui, adeoque qualis & quantus est magistratus, talis & tanta est ejus jurisdictio.

Jurif-

Jurisdictio est simplex vel imperium strictè dictum.

Jurisdictio simplex est jurisdictio in negotii cognitione posita: nos diceremus in negotii deliberatione occupata.

Imperium hic est jurisdictio in coercitione posita.

Imperium est merum vel mixtum.

Imperium merum est imperium coercitionem habens graviorem, hoc potest infligere pœnam majorem.

Imperium mixtum est imperium coercitionem habens leviorem ac leniorem.

Executio est duplex, vel gravior quâ pœna infligitur: vel levior quâ aliquis actus alicui contrarius exercetur, sed sine punitione.

Magistratus est summus vel subordinatus.

Magistratus summus est præses summus, seu est persona res aut personas reliquas omnes in societatem ordinans.

Ei competit majestas & imperium summum.

Majestas est suprema in societate potestas.

Crimen læsæ majestatis est crimen quo majestas tollitur vel minuitur: hoc est omnium maximum, & atrocissimum.

Imperium summum est imperium quo omnia, scilicet omnes personæ, res & actiones symbioticæ ad societatis beatitudinem cum majestate ordinantur.

Sum-

Summa poteſtas eſt ſimplex vel mxta.

Simplex eſt monarchia vel polyarchia: unde magiſtratus ſummus eſt Monarchius vel Poliarchius.

Monarchia eſt ſumma poteſtas unius perſonæ.

In monarchia præſertim humana ſolet diſtingui majeſtas in majeſtatem præſidis & totius ſocietatis. Illa competit ſoli præſidi, hæc toti ſocietati. Unde etiam crimen læſæ majeſtatis eſt duplex, vel enim committitur in perſonam præſidis, vel in ipſam ſocietatem ſeu ſtatum: atque hoc poſterius in humanis eſt majus.

Polyarchia eſt ſumma poteſtas perſonarum multarum, quando non penes unum, ſed penes multas eſt majeſtas.

Polyarchia eſt Ariſtocratia vel Democratia.

Democratia eſt ſtatus ſocietatis quo ſumma poteſtas eſt penes omnes, ſeu totam ſocietatem, penes omnes non ſigillatim ſed conjunctim ſpectatos.

Ariſtocratia eſt ſtatus ſocietatis quo ſumma poteſtas eſt penes aliquos, & quidam optimates ſeu excellentiores.

Summa poteſtas mixta quando præcædentes modi vel omnes ſimul vel aliqui ex ijs conjunguntur. Excellit ea quæ ſummam libertatem cum perfectiſſima unitate conjungit, qualis eſt in ſocietate divina.

Magistratus subordinatus est præses subordinatus, is est medius.

Nam respectu superioris est persona ordinata, respectu inferioris ordinans; unde etiam ipsi competit & imperium & obedientia.

Atque hactenus de unione personali in genere, cujus divisiones specialibus accuratè sunt applicandæ, sequitur de iis in specie.

Unio personalis est primaria vel secundaria.

Unio personalis primaria est quâ primario nobis jure persona symbioticè unitur: hæc nititur personæ uniendæ productione.

Personæ uniendæ productio est quâ persona uniens producit personam uniendam. Productio hic generalissimè est sumenda, quatenus competit divinis & humanis, vel potiùs creatis & increatis. Est autem persona producens prima societatis radix; unde etiam oritur Catholica omnium rerum ac personarum societas, ejusque panharmonia.

In productione excellit generatio.

Revera duo sunt modi qui producendi perfectionem dicunt, nimirum generatio & spiratio, seu productio primaria & secundaria. Verùm quia in creaturis posterioris quædam umbra ob earum imperfectionem tantùm occurrit, ideo sola personalis generatio est terminus generalis

Generatio prout hic sumitur est personalis productio quâ pater producit filium.

Pater

Pater est persona sibi aliam ratione essentiæ & subsistentiæ, adeoque intrinsecarum operationum similem producens.

Filius est persona ab alia producta, producenti ratione essentiæ & subsistentiæ similis, adeoque productiva. Vox similis hic generaliter est sumenda, ita ut etiam alicubi complectatur identitatem.

Hinc oritur duplex habitudo, paternitas & filiatio, quæ communiter spectata est substantialis vel accidentalis.

Ad productionem pertinet conservatio, sive ea sit non mutua, sive mutua.

Ex productione & conservatione non mutua oritur dominium personale strictè dictum, & servitus.

Dominium personale est absoluta præsidis in subjectum potestas: servitus est obligatio quâ subjectus præsidi absolutè subordinatur.

In hac ratione, dominus est unicus vel præcipuus servi finis, unde varii oriuntur dominii gradus: summus est si dominus sit servi & finis principalis & procreans & conservans causa, quo modo Deus est Dominus omnium creaturarum.

Ex conversatione personarum mutuâ oritur conjugium, similesque societates de quibus infra in specie.

Conjugium est individua maris & fœminæ societas, prolis, mutuique auxilii causâ inita.

 Mari-

Maritus est conjux ordinans; fœmina conjux ordinata.

Hactenus de unione personali primaria, sequitur secundaria quæ primariâ adeoque productione nititur.

Et in genere est naturalis vel voluntaria, sive ex consensu adeoque expresso vel tacito.

In specie est primitiva vel derivativa.

Primativa est æquiparatio personalis.

Æquiparatio personalis est unio symbiotica quâ una persona habetur pro alia, scilicet ve producente vel producta.

Æquiparatio potest dividi in repræsentatic nem & successionem.

Repræsentatio est æquiparatio personal quâ una persona habetur pro alia, ita ut repr sentata jus suum retineat, jus scilicet plen hæc itaque est personæ quædam additio.

Estque generaliter ut in vicario & lega vel specialiter ut in adoptione & tutela & ra.

Vicarius est persona vice vel loco alte substituta, sive pro persona singulari, pro integra societate substituatur.

Legatus est vicarius absentis, seu est per ab aliquo missa, ut eum repræsentet.

• Ad legationis confirmationem pertine teræ credentionales seu fiduciæ quæ sunt li solennes à legante legato datæ, ut is offi suum demonstrare queat.

A

Adoptio est æquiparatio quâ quis habetur pro filio, seu est alicujus in locum filii electio.

Estque arrogatio vel adoptio in specie, illa est adoptio ejus qui sui juris est; hæc ejus qui in potestate patria.

Tutela est jus tuendi pupilli qui se suaque negotia defendere nequit: seu est æquiparatio quâ persona aliqua habetur pro parente quantum ad officium defendendi illum; qui se suaque defendere nequit, qui vocatur impuber.

Cura est jus tuendi eum qui negotia sua defendere nequit, Jurisconsultis vocatur minorennis puber.

Sucessio est æquiparatio personalis quâ una persona habetur pro alia, ita ut repræsentatæ jus competat alteri; hic itaque prima persona juri suo renuntiat, unde successio est quasi in locum alterius cessio.

Successio in genere est, 1. viventis vel defuncti: 2, universalis vel singularis; Illa est cùm quis succedit in universum jus antecessoris: hæc cùm in certum. Utraque est absoluta vel conditionalis.

3. Est naturalis vel libera, & hæc vel nititur ipso jure diciturque legitima; vel placito antecessoris, & est vel in locum dignitatis aut officii, vel rei, vel utriusque; illa est successio in jus personale, ista in reale, hæc in utrumque. Tot autem singulares sunt species quot sunt unionum personalium species.

Suc-

Successio est personalis vel repræsentalis: personalis est successio quæ fit in capite, id est, in singulas personas, ubi quot sunt personæ, tot sunt partes.

Repræsentatio est quæ jure repræsentationis dicitur fieri in stirpes, item in aliquot personas unam repræsentantes; hic quot sunt stirpes, tot sunt partes; illustris successionis species est hæreditas.

Hæreditas est jus personale alii personæ universaliter succedendi: hæc plurumque est in bonis strictè dictis, itemque in locum defuncti, non verò tamen etiam in dignitate: itemque in locum viventis. sic Christus est hæres patris, nos Christi, dicitur autem successio universalis non tam ratione acquisitorum, quàm tituli acquirendi.

Hæres est legitimus vel voluntarius.

Legitimus hæres est cujus successio proxime nititur jure, sive illud jus sit naturæ, sive divinum, sive gentium, sive civile, sic liberi sunt hæredes parentum; cognati suorum proximorum,

Voluntarius hæres est cujus successio proxime nititur voluntate antecessoris: hæres voluntarius vel succedit vivo vel defuncto, ibi est donatio inter vivos, & similes modi; hic est Testamentum quod est justa personæ sententia, seu ultima voluntas de eo quod post mortem suam vult fieri, sive est communicatio bonorum in mortis eventu.

In

In Teſtamento videnda eſt teſtamenti factio activa & paſſiva. Illa pertinet ad teſtatorem ut habeat condendi jus ac poteſtatem: hæc ad hæredem ut habeat jus quo poſſit inſtitui hæres.

Huc pertinet legatum quod eſt donatio à defuncto alicui relicta ab hærede præſtanda. Generaliùs eſt libertas in aliquem collata, qualicunque ultima voluntate.

Inſtitutio hæredis eſt duplex, inſtitutio ſtrictè dicta, quæ eſt primi hæredis inſtitutio: & ſubſtitutio quæ eſt inſtitutio hæredis primò ſuccedentis, unde oritur fidei commiſſum.

Fidei commiſſum eſt teſtamentum quo hæreditas datur inſtituto ſub obligatione ac fide reſtituendi ſubſtituto,

Eſtque vel totius hæreditatis vel partis.

Hucusque de unione perſonali ſecundaria primitiva, ſequitur derivativa quæ eſt unio perſonarum ſymbiotica ex ſuperioribus reſultans. Itaque pro earum varietate varia eſt, Excellunt autem ſequentes, nimirum conſanguinitas, affinitas, concivium habitudo & collegium.

Conſanguinitas eſt habitudo perſonarum ab una productarum. eſtque agnatio conſanguinitatis à patre, vel cognatio ſtrictè dicta, conſanguinitas à matre, unde ſucceſſio agnatica & cognatica.

Affinitas eſt habitudo perſonarum à conjugum propinquitate orta, Con-

Concives sunt ejusdem societatis seu civitatis membra.

Collegium est habitudo personarum plurium ejusdem officii.

Huc usque de unione personali, sequitur realis.

Unio realis est quâ habitudo symbiotica inter res strictè dictas constituitur: hujus radix & scopus est unio personalis.

Ea autem consideratur vel in genere vel in specie.

In genere quoad divisiones quæ se immeant.

In genere unio realis primò est publica vel privata 2, rerum æqualium vel inæqualium.

Publica est quæ immediatè respicit publicum, privata quæ privatorum salutem.

Unio rerum æqualium consistit in rerum æquipollentia.

Ex unione rerum inæqualium fluit servitus realis, ac divisio rerum in principales & accessorias.

Servitus realis est jus in re constitutum, ut alteri rei serviat, unde res inferior dicitur serviens; superior dominans: apud politicos servitus semper est jus in alterius re constitutum quod res suo nomine serviat, unde si is qui habet rem dominantem acquirat servitutem, servitus dicitur confundi & tolli ab iisdem. Servitus realis tantùm collocatur in rebus immobilibus.

Res

Res principalis eſt quæ eſt alterius totum vel ſubjectum.

Acceſſoria quæ pars vel adjunctum.

In ſpecie unio realis eſt primaria vel ſecundaria.

Primaria eſt quâ primario jure res inter ſe uniuntur; hæc nititur productione reali quâ res producit rem, ſive eam procreet ſive conſervet, & quidem quâ totalis cauſa vel partialis.

Res producta eſt vel congrua, fructus: vel incongrua, damnum reale: huc itaque pertinet acceſſio naturalis, quæ eſt generatio vel alluvio.

Generatio vel non ſentientium, ut metallorum, plantarum, vel ſentientium ut fœtus.

Alluvio eſt appulſus fluminis ad ripam quo paulatim fundo aliquid latenter accedit.

Acceſſio unitur fundo tanquam cauſa naturalis inſtrumentali, conſervanti & ſubjecto.

Unio realis ſecundaria eſt quæ primariâ ſcilicet productione nititur; hæc conſiſtit in rerum permutatione quæ eſt æquiparatio ſtrictè dicta, vel ſucceſſio.

Æquiparatio ſtrictè dicta eſt rerum ſimul exiſtentium permutatio.

Succeſſio eſt permutatio rerum ſequentium cum antecedentibus.

Utriuſque ſpecies ſunt variæ, quæ partim ex ſupra poſitis generalibus, partim ex ſpecialibus ſunt petendæ. Hacte-

Hactenus de unione ſymbiotica ſimplici, ſequitur mixta.

Unio ſymbiotica mixta eſt quâ inter ſymbiotica diverſi generis habitudo ſymbiotica conſtituitur.

Eſtque talis vel ratione objecti, vel modi uniendi.

Ratione objecti eſt unio perſonarum & rerum quâ perſonis res ſymbioticæ uniuntur, ſeu quâ perſona habet res.

Eſtque dominium vel poſſeſſio realis.

Dominium reale eſt unio ſymbiotica quâ rem jure habemus: ſeu quâ res proprietate noſtra eſt: hæc eſt poteſtas quædam ſymbiotica, eſtque poſſeſſionis fundamentum.

Poſſeſſio eſt unio ſymbiotica quâ rem ipſo actu habemus: ſive actualis rei detentio.

Poſſeſſio eſt ex re vel quaſi: illa eſt rerum corporearum: hinc dominium eſt directum vel plenum.

Dominium directum ſeu nudum & non plenum eſt dominium in proprietate conſiſtens (ſive poſſeſſione futura) ſine poſſeſſione ſeu uſu.

Dominium plenum eſt dominium cum poſſeſſione & uſu conjunctum.

Generales fontes dominii & poſſeſſionis realis ſupra fuerunt indicati, cap. 4.

Unio Realis ſymbiotica mixta ratione modi eſt generalior vel ſpecialior. Generalior eſt præſcriptio.

Præ-

Præscriptio est acquisitio dominii per connuationem possessionis tempore legitimo. In hac non occurrit expressa dominii voluntas, sed illa ob naturalem æquitatem, totiusque societatis utilitatem fingitur à jure, ut qui rem suam legitimo tempore non recuperavit, eam elapso certo tempore, ulteriùs nolle præsumatur, nec rerum dominia semper sint incerta.

Tempus legitimum est varium pro varietate rerum & societatum; estque brevius vel longius, longissimum est immemorabile cujus memoria non extat.

Præscriptio est usurpatio vel præscriptio strictà dicta.

Usurpatio est præscriptio rerũ corporalium.

Præscriptio strictè dicta est præscriptio rerum incorporearum: Præscriptio quidem est modus acquirendi res.

Sed tamen etiam intra impersonalia, puta imparia, præscriptione acquiruntur, verùm mediante territorio.

Unio realis symbiotica mixta, specialior est accessio & specificatio.

Accessio hæc est modus acquirendi mixtus quo res partim à persona, partim ab alterius re producitur, jure igitur naturæ ejus est res producens licèt Romani aliter statuant. Accessio illa fit vel in re immobili, qualis est inædificatio, implantatio, vel in re mobili, ut in textura, scriptio, pictura.

Spe-

Specificatio eſt modus acquirendi mixtus, quando & materia ſive diverſa, ſive eadem, eaque vel partim noſtrâ, partim aliena, vel tantùm, nova quædam ſpecies ſeu corpus conſtituitur, ut ex variis metallis novum genus.

Eſtque confuſio qua res novam formam acquirunt: vel commixtio quâ res non mutant formam.

Caput. VI.

De communione ſymbiotica.

HActenus de ſymbiotica unione: ſequitur communio, illa exprimit ſtatum, hæc actum.

I. *Communio ſymbiotica eſt medium ſymbioticum quo conſociabilium habitudo exercetur; ſeu quo fit ut actus habitudini ſymbioticæ reſpondentes exerceantur.*

Generaliter dicitur κοινοπραξία quæ eſt omnis unionis ſcopus eique plane proportionalis: unde etiam diſtributiones communionis fluunt ex unionis diſtributionibus; adeoque non opus eſt omnes & ſingulas proponere, cùm ex ſuperioribus ſatis pateant.

II. *Communio ſymbiotica conſideratur in genere vel in ſpecie.*

III. *In genere videnda ſunt communionis conjugata.*

gata, nimirum communicativa, communicabilia & modi communicandi.

Inter hæc si servetur proportio, communicatio est congrua vel incongrua: servatur autem proportio si respondeat unioni:

Communicativa sunt omnes personæ & res symbioticæ: similiter communicabilia sunt personæ, res & actiones symbioticæ. In singulis tamen videnda sunt communicabilia seu propria, & incommunicabilia.

Modi communicandi in genere considerantur, quoad partes suas & communes divisiones.

Partes sunt duæ, consilium & auxilium.

Consilium hic est communicatio intellectûs & voluntatis.

Auxilium est communicatio facultatis: Illud respicit deliberationem; hoc executionem.

IV. *Communes communicationis divisiones sunt tres.*

1. Communicatio est cumulativa vel privativa.

2. Simplex vel mixta.

3. Primitiva vel derivativa.

Communicatio cumulativa est quâ communicans retinet communicatum, hæc est perfectissima.

Privativa est quâ communicans non retinet communicatum.

Communicatio primitiva est quæ aliam non præsupponit.

De-

Derivativa eſt quæ aliam communicationem præſupponit, hæc eſt communicatio quædam.

Communicatio in ſpecie eſt, perſonalis realis vel mixta.

Nos hic proponemus tantùm perſonalem, quia reliquæ facilè ex ea deducuntur: communicatio enim perſonalis non rarò verſatur circa realem.

Nam commuuicatio perſonalis eſt quâ perſona communicat ſe perſonæ: eaeſt vel primitiva vel derivativa: Illa antecedit quandam executionem; hæc ſequitur.

Communicatio primitiva eſt conſilii vel auxilii.

Communicatio conſilii eſt quâ perſona perſonæ ſuam ſententiam, intellectum & voluntatem ſignificat: à Juriſcenſultis dicitur modus docendi officium ſymbioticum: hæc eſt colloquium generaliter ſumptum, quod eſt mutua perſonarum ſignificatio, & conſtat interrogatione & reſponſione. In omni colloquio eſt proponens & percipiens.

Interrogatio eſt rei notificandæ præſignificatio ſymbiotica, ſeu eſt thematis notificandi propoſitio.

Reſponſio eſt ſymbiotica rei propoſitæ notificatio, interrogationi congruens, ſeu eſt argumentorum manifeſtantium relata propoſitio: huc pertinet, expiſcatio & oblatio, utraque eſt explicatio obſcuri vel probatio dubii. Notifi-

catio

catio item abſoluta vel comparata.

Communicatio privativa conſilii eſt theoretica magis vel practica.

Magis Theoretica eſt communicatio intellectus, hiſtoria præteritorum, narratio præſentium; vel prædictio ſeu prophetica futurorum ſignificatio.

Magis practica eſt communicatio voluntatis, cujus fontes ſunt laudatio & vituperatio: illa eſt ſignificatio recti eſſe congruam, hæc incongruam: huc pertinet commendatio & reprehenſio.

Hæc magis practica communicatio & communicatio eſt communior vel ſpecialior: Communior eſt quæ omnibus perſonis competere ſolet, diciturque conſultatio.

Conſultatio eſt communicatio practica quâ quis ad agendum vel non agendum impellitur: eſtque ſuaſio vel diſſuaſio.

Suaſio eſt cauſarum impulſivarum & mediorum propoſitio: hæc eſt conſultatio affirmans.

Diſſuaſio eſt quâ quis ad non agendum impellitur, illa contrarias impulſivas & media ſeu impedimenta proponit: huc pertinet hortatio, petitio, interceſſio, pactio, promiſſio, communicatio, vocatio.

Hortatio eſt conſultatio perſonarum poteſtate rerumque merito nitens: Eſtque adhortatio, ſuaſio, dehortatio, diſſuaſio.

Petitio eſt deſiderii expreſſio, ejus à quo petitur

titur dignitate ejusque pro quo petitur aptitudine nitens. Et petitionis scopus est boni communicatio vel mali depulsio.

Intercessio est petitio pro alio.

Pactio est mutua obligationis significatio.

Promissio est communicatio, prout supra fuit definita.

Vocatio est significatio quod aliquis venire debeat.

Communicatio practica specialior est quæ tantùm præsidibus competit: estque mandatum, mandati sanctio, & permissio.

Mandatum est modus docendi quo præses subjecto voluntatem suam significat de facto aliquo, ut ei obediat seu ut eum obliget: Estq; præceptum mandatum faciendi: vel prohibitio seu interdictum mandatum non faciendi.

Sanctio est mandati confirmatio: Estque præmissio vel communicatio judicialis.

Permissio est modus docendi quo præses subjecto circa factum aliud libertatem vel impunitatem concedit.

Sequitur auxilium quod est communicatio quâ symbioticæ vires suas ad unum actum ordinant, ordinant nimirum vel subordinant.

Hactenus de communicatione personali primitiva, sequitur derivativa quæ ex aliqua communicatione fluit, eamque præsupponit: Estq; consilium aut auxilium: hæc est actus quasi reflexus: estque Ethica quæ dicitur censura; vel Symbiotica, judicium. Ad

Ad Ethicam communicationem pertinet gratiarum actio, & gratulatio.

Judicium est legitima rei controversæ inter litigantes apud judicem tractatio: estque symbiotica disputatio.

Judicium consideratur in genere vel in specie.

In genere quoad personas controversiæ; & partes seu generales judicandi modos.

Personæ sunt quæ faciunt ad controversiæ tractationem, suntque vel principales, quæ fa iunt ad esse: vel accessoriæ ad bene & melius esse judicii.

Personæ principales sunt judex & litigantes.

Judex est persona præses quæ controversiam jure definiendo litigantes dirimit. Estque ordinarius, Magistratus: vel extraordinarius qui constituitur à voluntate vel Magistratus, ut Judex delegatus, & pedaneus: vel litigantium arbiter.

Arbiter est Judex litigantium ex litigantium pactione judicans.

Litigantes sunt personæ quæ controversiam disputant, seu propter quas judicium instituitur. Consortes sunt litis socii.

Persona litigans est actor vel reus.

Actor est persona litigans accusans, seu quæ judicium contra aliquem provocat.

Reus est persona litigans accusata seu contra quam ab actore provocatur.

Personæ judicii accedunt ad Judicem, vel ad litigantes.

Ad Judicem accedunt Accessores vel Ministri.

Accessores sunt personæ jurisperitæ Judici in judicando assidentes vel auxiliantes.

Ministri sunt Tabelliones vel Viatores.

Tabelliones sunt ministri notabilia in judicio annotantes; vel judicii ordinem pronuntiantes, ut scribæ.

Viatores sunt judiciorum nuncii, judicis voluntatem aliis præsertim litigantibus indicantes vel annuntiantes.

Ad litigantes accedunt intervenientes, patroni causarum.

Intervenientes sunt qui post institutum judicium liti se intermiscent.

Patroni causarum sunt Advocati & Procuratores.

Advocati sunt patroni causarum litigantibus consulentes, & controversiæ merita perpendentes.

Procuratores sunt patroni causarum alienam litem ex mandato dominii tractantes.

Sequitur controversia quæ est causa symbiotica in judicio proposita: estque facti vel juris; illa est quâ quæritur an sit aliquid factum nec ne? hæc est quæstio facti de merito, scilicet an sit congruum vel incongruum quo modo & gradu: hic meritum vel est jure definitum: vel ex æquitate definiendum.

Restat ut judicii partes exponantur, communesque ejus divisiones.

Par-

Partes judicii duæ sunt, disceptatio & decisio: illi pertinet ad præmissas, hæc ad conclusionem; utrobique aliæ partes sunt necessariæ, aliæ incidentes.

Disceptatio est controversiæ propositæ deductio. ejusque partes duæ sunt, præparatio & ipsamet judicatio seu tractatio.

Præparatio est controversiæ propositio: præparatio consistit in praxi thematicâ.

Præparationis necessariæ partes duæ sunt, nimirum actionis editio & citatio.

Actionis editio est futuræ litis designatio quæ fit libello.

Libellus est significatio scripturæ actoris intentionem continens.

Is complectitur summariam causæ narrationem & processûs seu judicii petitionem.

Citatio est legitima in jus vocatio: estque vel verbalis vel realis, manus injectio: simplex vel peremptoria, postquam nulla emanant; sed vocato emanente contra ipsum proceditur in contumaciam.

Præparationis partes incidentes sunt variæ, ut procuratoris constitutio, satisdatio, sequestratio, contra contumaciam processûs dilatio, & similia quæ non semper habent locum sed aliquando, item exceptio Thematica quæ nimirum vel causæ vel personarum ad judicium pertinentium incompetentiam allegat.

Ipsa judicatio consistit in litis contestatione &

discussione, quibus accedunt quædam partes incidentes.

Litis contestatio est Theseos seu controversiæ constitutio, facta affirmatione unius & contradictione alterius litigantis.

Litis discussio est controversiæ disputatio ab utraque parte facta: estque accusatio vel defensio ac utrinque communis probatio.

Accusatio est disputatio actoris quâ reum injustitiæ convincere conatur: huc pertinet reprehensio & exprobratio.

Defensio est disputatio quâ accusationem conatur reddere inefficaciorem, seu est accusationis depulsio: estque plena vel semiplena, quo extenuatio, excusatio & deprecatio referenda: defensio etiam dicitur exceptio.

Utraque tam accusatio quàm defensio est prima vel secunda. Unde ex parte illius est accusatio, replicatio, triplicatio: ex parte hujus exceptio duplicatio, quadruplicatio & sic deinceps.

Probatio est rei dubiæ notificatio, seu assertio argumentis facta: estque præsumptio vel probatio strictè dicta.

Præsumptio est quæ rei dubiæ fidem facit ex alio, seu quæ utitur discursu: hæc non demonstrat immediatè quæstionem, sed ex aliis argumentis eam colligit: huc pertinet juramentum litis decisorium.

Probatio strictè dicta est quæ quæstionem im-

immediatè demonſtrat, eaque fluit vel à litigantibus vel ab aliis.

A litigantibus eſt Confeſſio.

Confeſſio eſt qua aliquis ad quod contra ipſum in judicio adducitur, aſſeverat: ēſtque ſpontanea vel extorta.

Probatio ab aliis ſumpta eſt Teſtimonium & Inſtrumentum.

Teſtimonium eſt probatio rei facta per eos quos judicium non concernit, unde teſtis eſt perſona à judicio aliàs aliena de controverſia ligitimè examinata.

Inſtrumentum eſt externum ſignum, ut charta vel membrana rem controverſam vel membrana controverſam, vel aliquid illam pertinens, manifeſtans: Eſtque publicum vel privatum, authenticum, originale, ſeu exemplar: vel non authenticum, copia ſeu exemplum.

Partes diſcuſſionis incidentes ſunt variæ, ut juramentum, calomniæ, prorogatio, termini juramenti dilatio, teſtium examinatio, conſultatio & exceptio peremptoria.

Hactenus de diſceptione, ſequitur deciſio.

Deciſio eſt controverſiæ tractatæ à judice legitime facta concluſio, quæ pronuntiata dicitur ſententia.

Sententia eſt abſolutio vel condemnatio. Illa eſt qua judex pronuntiat reum non egiſſe incongruè: hæc quâ pronuntiat egiſſe incongruè. Sententiam ſequitur impugnatio vel executio.

Impugnatio sententiæ, quâ quis sententiam affirmat esse incongruam. Ea petitur vel à meritis causæ, vel processu, à meritis causæ, vel à parte judicis, vel litigantis.

A parte judicis est revisio, appellatio, & reductio ad arbitrum bonum.

Revisio est supplicatio quâ damnatus petit à judice, ut antea malè informatus, denùo judicet informatus meliùs.

Appellatio est provocatio à judice inferiore ad superiorem.

Reductio ad arbitrium boni viri est à sententia arbitrii, quæ sententia vocatur ad judicem competentem provocatio.

A parte litigantis, restitutio in integrum, quæ est sententiæ impugnatio specialis personæ condemnatæ privilegio nitens, in primis infirmitate: ratione processus est via militantis.

Via militantis est processus seu judicii contra juris ordinem facti impugnatio.

Executio est rei judicatæ consummatio: Estque præmium vel pœna.

Præmium est beneficium ob congruum factum in aliquem collatum: huc pertinet recuperatio rei suæ.

Pœna est malum passionis ob malum actionis alicui inflictum.

Communes judicii divisiones sunt 1. quod sit publicum, vel privatum: 2. ordinarium vel extraordinarium.

Sequitur de judicio in specie, tumque vocatur actio.

Actio est jus controversiæ legitimè in judicio tractandæ.

Actio est personalis vel realis: Illa est quæ personæ cohæret, huc primariò respicit persona.

Actio personalis est conditio vel actio præjudicialis.

Conditio est actio in personam ex obligatione profecta.

Estque conditio in specie, vel ex conventione, vel ex delicto quæ sequitur pœnam.

Actio præjudicialis est actio de statu hominis, seu de mutua personarum habitudine, adeoque potestate & subjectione, hinc de statu publico & privato.

Actio realis est rei causa illata, estque vindicata vel interdictum.

Vindicatio est actio de rei controversæ dominio.

Interdictum est actio de rei controversæ possessione.

Sequitur communicatio auxilii: communicatio auxilii est primitiva vel derivativa.

Ex communicatione auxiliorum oritur bellum.

Bellum est status personarum concertantium; hoc ibi locum habet, ubi judicium obtineri nequit.

Communicatio derivativa auxilii, est quæ-

dam executio. eaque præmium vel pœna.

Atque hæc sit brevissima delineatio symbioticæ generalis, ad quam si Metaphysicum, Logicum & Ethicum lumen accedat, facilè omnia in speciali societate occurrentia reducuntur, & ex ea deducuntur.

COMPENDII SYMBIOTICI,

LIBER II.

De Symbiotica Archetypa.

CAPUT. I.

De Dei existentia.

SIc fuit hactenus Symbiotica generalis: sequitur Symbiotica specialis.

I. *Symbiotica specialis est quæ personarum societatem explicat:* hæc oritur ex congruâ terminorum generalium ac specialium conjunctione.. Congrua autem conjunctio est quæ illorum definitiones seu proportionem observat.

Per terminos generales hic non solum intellige terminos generales symbioticæ, verùm etiam superiorum disciplinarum.

Per-

II. *Personarum societas in specie consideratur sigillatim & conjunctim*: ibi singulæ per se considerantur: hic omnes inter se conferuntur, earumque habitudines inter se exponuntur.

III. *Societas personarum est archetypa, vel Extypa.*

Societas archetypa est societas personarum quæ ens primum dicitur, hæc societas est omnium prima, ideoque infinitæ perfectionis, cæterarumque omnium scopus, fons, norma.

IV. *Ens primum est ens infinitæ perfectionis, seu est ens omni modo graduque perfectissimum*, unde eo perfectius nec esse, nec excogitari potest, diciturque Deus. Cum sit infinitum, infinitæ poterunt ejus descriptiones dari satius tamen est eam primò adhibere quam omnes sana mente præditi sine dubitatione admittunt.

V. *Deus seu ens primum considerandum est absolutè vel relatè.*

VI. *Consideratio Dei absoluta expendit primò quòd sit; deinde quid sit.*

Illa perpendit existentiam, hæc essentiam, licèt hæc duo in Deo re ipsâ non distinguantur, tamen ratione utiliter & necessario.

VII. *Existentia Dei demonstratur argumentis generalibus vel specialibus.* Argumenta generalia sunt quæ ex primorum terminorum combinatione fluunt, adeoq; à cujuslibet perfectione desumi potest, hæc respectu intellectus nostri possunt dici à priori. Hic observa aliud esse

ſimpliciter demonſtrare Deum; aliud hoc vel illud ens eſſe Deum, non verò angelum, cœlum aut ſimile aliud: prior demonſtratio utpote generalior debet præcedere, ideoque licèt à nobis præmittatur, poſterior ſuo loco ſequitur.

VIII. *Argumenta generalia poſſunt peti à tribus primis terminis generaliſſimis, nimirum, eſt, modus, & gradus.*

IX. *Ex termino* eſt, *ſic demonſtratur eſſe Deum.*

Aut aliquid eſt in rerum natura; aut nihil planè eſt: ſi planè nihil eſt in rerum natura, neque nos qui hæc cogitamus, ſumus, aut planè inſanimus, tum quoad ſenſus, tum quoad rationem; at ſi inſanimus, ſumus; Ergo aliquid eſt in rerum natura.

Si eſt aliquid in rerum natura, aut tantum unum eſt in rerum natura, aut plura ſunt: ſi tantum eſt ens unum, illud aut eſt factum, aut non eſt factum; ſi eſt ens non factum, utique Deus eſt, nam ens non factum vocamus Deum. Si vero illud eſt ens unum factum, fecit ſeipſum, nam aliud non eſt. At ſtultum eſt quod aliquid faciat ſeipſum. Nam quod facit aliquid, illud eſt; quod fit, illud antequam fiat, non eſt: Ergo quod facit ſeipſum, illud ſimul eſt & non eſt.

Si verò ſunt plura entia in rerum natura, aut omnia ſunt non facta, aut omnia facta, aut quædam ſunt facta, aut quædam non ſunt facta. Si omnia ſunt non facta, omnia ſunt Deus,

eſt:

eſt ergo Deus; ſi quædam ſunt non facta, iterum eſt: ſi verò omnia ſunt facta, quia ſeipſa fecerunt, fuerunt itaque antequam fuerunt, quod abſurdum.

Breviter itaque quod eſt aut eſt factum aut non factum; at non omnia poſſunt eſſe facta: nam quidquid fit, fit ab alio: Ergo id à quo factum eſt, aut eſt factum aut non eſt factum: ſi non eſt factum, eſt Deus: ſi verò id à quo eſt factum, factum eſt, factum eſt ab alio: Ergo tandem aut perveniendum erit ad aliquod non factum, aut procedendum in infinitum, aut circulus committendus; at utrumque eſt abſurdum. Nam proceſſus in infinitum non eſt in cauſis ſubordinatis: Ergo eſt aliqua cauſa prima non facta: Ergo eſt Deus: aut ſi non eſt aliqua cauſa prima, nulla eſt cauſalitas, nihil ergo eſt factum. Circulus autem & proceſſus in infinitum in cauſis coordinatis non datur, hæc producit illam, illa aliam, alia primam mediatè, vel immediatè, Ergo vel tota illa collectio ſubordinatorum aut coordinatorum eſt facta vel non facta: ſi eſt non facta, eſt ergo Deus: ſi tota eſt facta, ergo aut non eſt tota omnium entium collectio, aut aliquid fecit ſeipſum, utrumque eſt abſurdum.

X. *Ex modis entis intimis, ſic demonſtratur eſſe Deum*; omne ens eſt unum, verum, bonum, & ſic deinceps per omnes entis modos: Ergo aut eſt perfectiſſimè unum ens, verum, bo-

num, aut non est tale ens. Si est tale ens utique Deus est, nam tale ens vocamus Deum: si non est tale ens, non perfectè bonum est melius ente perfectè bono; Ens non perfectè perfectum est perfectius ente perfectè perfecto, & sic deinceps. Nam id quod est, perfectius est eo quod non est. At prius est absurdum.

XI. *Ex gradibus entium sic demonstratur esse Deum.* Omne ens est unum, verum, bonum: Ergo aut est ens summè unum, verum, bonum; aut non est tantum. Si est tantum ens, utique Deus est: nam tantum ens vocamus Deum. Si non est tantum ens, ens minus bonum est melius optimo, adeoque pars melior totó; nam id quod est, melius est eo quod non est. Ergo est ens summè unum, verum, bonum, id est Deus.

XII. *Argumenta specialia quibus existentia Dei demonstratur sunt illà quæ á rerum creatarum constitutione petuntur, adeoque à speciali terminorum combinatione oriuntur.* Hæc rectè dicuntur à posteriori, qui semper ab effectis ad causas ascendunt.

XIII. *Duo autem in his argumentis maximè, sunt observanda: ut sint clarissima: ipsaque quæstione demonstranda notiora: deinde ut sint firmissima nullaque instantia eludi queant.* Ob primum requisitum, alia aliis personis congruunt, sic homines plebei sunt convincendi ex rebus testatissimis, non dubiis aut obscuris.

Argu-

XIV. *Argumenta ſpecialia ſumuntur vel à tota rerum univerſitate, vel ab ejus partibus inſignioribus,* Illa ſumuntur à Macrocoſmo, hæc à Microcoſmo, poſſunt quidem à ſingulis rebus creatis ſumi argumenta, nam quot ſunt creaturæ, tot ſunt argumenta exiſtentiæ divinæ, verùm ob evidentiam hæc ſunt præferenda.

XV. *Ex Macrocoſmo ſic demonſtratur eſſe Deum.*

In macrocoſmo aut nullus eſt ordo & harmonia; aut aliquis eſt ordo & harmonia. Si nullus eſt ordo & harmonia, omina erunt fruſtrà & ſunt caſu ac incongruè; at hoc repugnat experientiæ & rationi, quæ omnium rerum ſubordinationem vel coordinationem manifeſtè docet.

Si verò eſt harmonia & ordo in univerſo, neceſſariò quoque erit ordinans univeſale: ſi eſt ordinans univerſale, utique illud habet ſcientiam, potentiam ac voluntatem omnia ordinandi, erit ergo ens perfectiſſimum, id eſt Deus.

Explicatur & amplificatur hæc demonſtratio, ſi proponatur logicè, oſtendaturque neque exemplarem, neque efficientem, neque finalem rerum cauſam eſſe in rerum naturâ, ſi non ſit Deus.

XVI. *Ex microcoſmi partibus demonſtratur eſſe Deum ſive ſingulæ abſolutè in ſe ſive cum alus collatæ ſpectentur.* Hinc oritur ſcala naturæ per quam

quam ascendit ad Deum, & perpendit esse modum ac gradum.

XVII. *Ex Macrocosmi partibus clarissima & efficacissima argumenta suppeditat homo:* Sic enim ex naturâ hominis demonstratur esse Deum; si non est Deus, homo est animal, imò corpus imperfectissimum, absurdum est consequens, ut patet ex definitione hominis, quod sit animal rationale; connexum probatur per partes: primum argumentum sumitur ab ipsius Intellectu: si nullus est Deus, homo est animal stultissimum; ratio quia stultus est qui eum qui non est, timet. At homo timet, conscientiæ enim ac divinitatis sensus omnibus hominibus naturâ est insitus. At si homo est stultissimũ, est etiam imperfectissimum animal. Secundum argumentum sumitur ab hominis appetitu seu voluntate. Si non est Deus homo, est animal pessimum.

Ratio quia appetit incongruentissimą, appetit enim scientiam, honestatem ac potestatem talem & tantam quæ sine Deo esse nequit: & quæ planè impossibilia, ea quoque sunt incongrua.

Tertium argumentum sumitur ab hominis facultate executiva, adeoque ejus statu. Si non est Deus, homo est animal infœlicissimum; ratio, quia appetit inutilia neglectis utilibus, imo appetit ea quæ assequi nusquam potest. 2. probatur, quia magis appetit spiritualia æterna,.

na, uno verbo, ea quæ Deo, id eſt, enti ſunt propinquiora, quàm corporalia, caduca & ea quæ vero enti ſunt viciniora, poſito nimirum quòd non ſit Deus.

XVIII. *Reſtat ut præcipua Atheorum argumenta ſolvamus*, idque duabus de cauſis, tum ut iis os obturetur, tum ut tentatæ conſcientiæ ſe extricare poſſint.

XIX. *Fundamenta Atheorum ſunt generalia vel ſpecialia.* Illa oriuntur ex combinatione terminorum generalium; hæc ex ſpeciali rerum conſtitutione. Quamvis primæ primorum terminorum combinationes ſint evidentiſſimæ, attamen ob ipſorum altitudinem & generalitatem ſuamque incapacitatem, ſæpius in iis hæret mens humana, quam perplexitatem arripiunt hi inſani homines. Obſerventur itaque theoremata ſequentia.

1. Etſi finitæ menti ſit incomprehenſibile, quomodo aliquod ens negativè ſit à ſe ipſo, id eſt, prorſus non ſit ab alio: attamen omnia principia eam cogunt ut firmiſſimè ſtatuat quod ſit aliquod ens tale. Nam ipſa mens humana clariſſimè videt quòd debeat aſſerere aliqua ſibi incomprehenſibilia: hoc principium ſummum habet uſum in ſummis myſteriis.

2. Etſi non repugnet progreſſus in infinitũ ex parte principiatorum, repugnat tamen ex parte principiorum: ille enim nunquam abſolvitur, at hic abſolutus præſupponitur, ſi

ex-

ex eo oriri aliquid debeat: nec in caufis per accidens poteft habere locum, quia omnis caufa per accidens, neceffariò reducitur ad caufam per fe.

3. Cùm omnis effectus præfupponat caufam fuam, id eft, fibi proportionalem. At fi non repugnat circulus caufarum finitus, quo aliqua fe mutuò producunt vel confervant, ita tamen ut aliqua caufa fuperior illam coordinationem inftituerit, repugnat tamen circulus caufarum finitus quo nulla caufa agnofcitur præter coordinatam.

4. Et fi ex illo principio, effe eft melius quàm non effe, non fequitur quod neceffariò in rerum natura exiftant omnes poffibiles entitatis modi ac gradus: neceffariò tamen ex illo fequitur quod perfectiffimus entitatis modus ac gradus neceffariò fit in rerum natura. Nam ob perfectiffimi modi ac gradus exiftentiam, non eft neceffaria exiftentia modorum ac graduum non perfectiffimorum.

5. Licèt in rerum creatarum conftitutione, primâ fonte videantur aliqua occurrere quæ perfectioni divinæ repugnent, tamen re accuratiùs perpensâ, & divinis attributis inter fe collatis, omnis difficultas evanefcit. Nam attributa divina fe mutuò explicant, probant ac amplificant; exẽpli gratiâ peccata in mundo non tollunt divinam bonitatem ob divinam fapientiam ac potentiam, funt autem divina attri-

attributa universæ naturæ radices, omnisque scientiæ, adeoque totius Encyclopœdiæ claves.

6. Ordo & harmonia universi consideratur vel imperfectè, immediatè respectu partium tantùm & causarum secundarum; vel perfectè, mediatè & respectu totius, adeoque ratione causarum superiorum. Priori modo apparet aliqua confusio & discordantia in rerum natura; posteriori nulla, quia defectus causarum inferiorum compensatur effectu & perfectione superiorum. Sic licèt inanimata non cognoscant finem, cognoscit tamen author naturæ. Sicut sagittæ scopum cognoscit sagittarius.

7. Licèt consuetudo diuturna plurimùm possit in humano genere, attamen nisi Deus esset, nullatenus humanæ facultates in ea objecta eo modo ac gradu inclinarentur vel inclinari possent, prout experientia eas inclinari demonstrat. Esset enim illa consuetudo ipsorum planè contraria.

8. Licet quidam de Deo dubitarint, quidam etiam ipsum negarint, id tamen potiùs ex voluntatis malitia, quàm intellectus ignorantia profectum est, nisi forsan subtilis quædam insania fuerit. Quamvis multorum conscientia erret circa conclusiones practicas, nunquam tamen errat circa prima principia practica. Ac licèt sceleratissimorum hominum con-

conſcientia aliquandiu ſtertat, nunquam tamen extinguitur, quamcunque vim ſibi faciant. Licèt non omnes homines veram fœlicitatem ſint adepturi, abſurdum tamen eſt univerſi generis humani felicitatem eſſe impoſſibilem, quorundam enim infœlicitas non ex ſummi entis defectu, ſed ſpontaneâ ipſorum malitiâ oritur.

Caput II,

De modo inveſtigandi naturam Dei.

HActenus de exiſtentia Dei, ſequitur ut agimus de ipſius eſſentia.

I. *Eſſentia Dei quia eſt infinita, erit incomprehenſibilis creaturæ finitæ*: attamen quia eſt perfectiſſima erit maximè ſuâ naturâ intelligibilis cum eſſe ſit primum ac proprium intellectus objectum.

II. *Eſſentia Dei cognoſcitur vel lumine naturæ vel lumine gratiæ & gloriæ*, de his tractant Theologi, de illo Philoſophi.

III. *Nos itaque lumen naturæ, divinam eſſentiam, exiſtentiam inveſtigaturi, præmittimus aliqua præcognita de fundamento & modo quâ nimirum ratione Philoſophus eam cognoſcere poſſit.*

IV. *Fundamentum naturaliter cognoſcendi Deum eſt triplex, nimirum panharmonia rerum, divina ſufficientia, ac efficientia.*

V. *Panharmonia rerum eſt qua omnia entia realia veram ac intrinſecam convenientiam inter ſe habent, ita ut mens creata ab uno poſſit ordinatè*

diſcurrere ad aliud: hæc convenientia nec eſt æquivoca, ſecus vel Deus vel res creatæ non eſſent vera entia, nec univoca, ſecus forent eadem æqualia, ſed analoga, id eſt, realis quidem ſed non æqualis conſiſtit, conſiſtit autem in primis ac communiſſimis terminis.

VI. *Divina ſufficientia eſt qua ipſe omni modo & gradu eſt perfectiſſimus.*

VII. *Hinc ſequitur* 1. *omnem omnino imperfectionem ab ipſo removendam*; 2. *omnem perfectionem ipſi tribuendam.*

VIII. *Divina efficientia eſt quâ Deus omnes perfectiones omnibus & ſingulis creaturis communicat*, at nihil poteſt alii dare quod non habeat, vel æquipollenti vel eminenti modo.

IX. *Sic fuit fundamentum cognitionis Dei naturalis, ſequitur modus qui conſideratur in genere vel in ſpecie.*

X. *Modus cognoſcendi naturam in genere fundatur in panharmonia omnium entium, qua entia omnia, eſſentias, modos ac gradus ſibi ſimiles adeoq; à mente humana inter ſe conferri poſſunt.* Hæc collatio eſt clavis omnium notificationum: Nam mens non ſolum à pari ad par, ſed etiam à ſimili ad ſimile, à minori ad majus, item à diſſimili uno ad diſſimile alterum diſcurrere poteſt vi illius principii, quæ in tertio conveniunt, ac prout in illo tertio conveniunt, vel non conveniunt, ita quoque inter ſe.

XI. *Modus cognoſcendi Deum in ſpecie eſt via ne-*

negationis, eminentiæ & causalitatis.

XII. *Via negationis est quâ omnes creaturarum imperfectiones à Deo removentur*: hæc via est omnium facillima ac tutissima, quia facilius ac certiùs scitur quid non sit res, quàm quid sit. Nam ex combinatione negationum tandem differentia rei cognoscitur: hinc pleraq; Dei attributa sunt negativa: ejusq; regula est, percurrere omnes creaturarum imperfectiones, easq; de Deo remove: hæc progreditur à minori ad majus, ideoq; vel ascendit à specialibus ad generalia, vel ascendit à generalibus ad specialia; Prior modus sic se habet, Deus non est homo, nec animal, nec corpus vivum, nec mixtum: Ergo nec ipsorum imperfectiones habet: posterior ita, Deus non est corpus, ergo nec mixtum, nec vivum &c.

Solent autem attributa Dei negativè prius desumi à remotiore imperfectionum.

XIII. *Via enimentiæ est qua omnes creaturarum perfectiones Deo in summo gradu attribuuntur.*

Perfectiones creaturarum sunt duplices: aliæ dicunt perfectionem sine perfectione, & hæc primo competunt Deo, secundariò creaturis, ut intellectus, voluntas, ac potentia executiva, earumque dotes: Aliæ verò dicunt perfectionem cum imperfectione mixtam, quæ creaturis competunt propriè; Deo tantùm tropicè, ut lux, firmitas sensus, & hæ per viam negationis sunt purgandæ. N B. In Jobo, Psalmis,

mis, & Prophetis, sed maximè in Jobo est frequentissima hæc scala.

XIV. *Via causalitatis est quâ omnes creaturarum tanquam effectorum perfectiones tribuuntur Deo, tanquam primæ & perfectissimæ causæ.*

Hæc dicitur demonstratio à posterioi quæ ab effectis ascendit ad causas, atque hæc est triplex scala per quam Philosophus à quolibet ente creato, ejusve modo ac gradu potest ac debet ascendere ad Deum: cui utilissimè additur demonstratio ab æqualibus, quâ ab una adeoque qualibet perfectione divinâ, mens nostra deducitur ad quodlibet. Nos in posterum vel omnes vel plerasque vias conjungemus, imprimis dabimus operam ut ex eo quòd sit ens non factum, adeoque ex primo termino omnes demonstrentur.

In proprietatibus divinis, ab una ad alteram potest & debet firmissima fieri illatio, & hæc est perfectissima demonstratio.

CAPUT III.

De demonstratione attributorum Dei.

I. *Sic se habent præcognita demonstrationis, sequitur ipsa demonstratio.* Ubi observandum est duplicem posse adhiberi methodum, alia enim est via inventionis; alia explicationis: illa est

præ-

præmittenda huic; illa ostendit quid sint attributa Dei, hæc quòd sint.

II. *Attributa Dei ei competunt vel quatenus ens est, vel quatenus vivens est*; quà ens est competit ei æternitas, independentia, omnimoda perfectio, adeoque infinitas, simplicitas, immutabilitas, immensitas, imcomprehensibilitas.

III. *Si Deus est ens non factum, æternus est, nec principium nec finem nec successionem durationis habet.* Nam si esse cœpit, est factus ac principiatus: si esse desinit, est factus ab alio, neque enim destruet se ipsum, cùm omne ens appetat sui conservationem: si successionis durationem habet, utique fit: hinc sequitur summa Dei necessitas, quà Deus est ens summe necessarium, ita ut summe sit impossibile Deum non esse.

IV. *Si Deus est ens non factum, est prorsus independens*, id est, *nullatenus est ab alio cum imperfectione.* Nam quidquid ab alio dependet, id fit ab alio à quo dependet, quatenus nimirum ab illo dependet.

V. *Si Deus est ens non factum, sed negativè à se ipso est ens perfectissimum, id est, ab omni imperfectione liberrimum, & omnis perfectionis plenissimum.* Nam si non est perfectissimus, utique ab alio est ad certam perfectionem terminatus, ergo & factus & dependens; & necessario meliùs esset ens minùs perfectum quàm perfectum

ctum quia Deus est ens summè necessarium.

VI. *Hinc necessario fluit Dei infinitas: quæ non est proprietas quâ ipse careat terminis debitis, vel non habeat certum suorum attributorum essentialem modum & gradum: sed est omnimoda perfectio; quâ ita omnes entitatis gradus habet in se, ut nullatenus possit vel esse vel cogitari ens perfectius, sed ipse omnes possibiles entitatis gradus eminentissimè in se continet.*

VII. *Si Deus est ens non factum, est simplicissimus:* nam si esset compositus, esset à compositione & à componentibus foret ac penderet: nec esset perfectissimus, quia penderet ab imperfectis, scilicet suis partibus. Negata autem compositione sublimi, multo magis negantur crassiores. Quare Deus nec ex essentia & existentia, nec ex natura & supposito, nec ex potentia & actu, nec ex substantia & accidente, nec ex partibus integrantibus, nec denique ex essentialibus materiâ & formâ compositus est, sed porsus indivisibilis, incorporeus, &c.

VIII. *Si Deus est ens non factum, est immutabilis tum ratione essentiæ, tum ratione proprietatū essentialium:* nam si mutaretur, fieret ab aliquo, quatenus scil. mutaretur, itemq; dependeret à mutatione. Præterea nec perfectissimus foret, nec simplicissimus; quia illa mutatio aut fieret in melius, sic primò non fuisset perfectissimus: aut in deterius, sic postea non esset simplicissimus,

aut

aut in prorſus çqualem, ſic foret fruſtranea mutatio & ſtulta: non eſſet ſimpliciſſimus. Nam illa mutatio aut eſſet ſubſtantialis, id eſt, generatio vel corruptio, ſic autem Deus eſſet ens factum, nec æternum: aut accidentalis, ſic conſtaret ex pluribus cum imperfectione.

IX. *Si Deus eſt ens non factum, eſt immenſus.* Immenſitas enim Dei nihil aliud eſt quâm naturalis ejus præſentia, ſine ullo fine aut termino, ita ut divina eſſentia ſit ſufficiens ad omnia ſpatia ſeu corpora replenda, etiamſi in infinitum augeantur: Eſt autem ſemper actu præſens ubicunque eſſe poteſt, ſive hæc præſentia per ordinem ad loca realia, ſive ad ſpatia imaginaria à nobis concipiatur ac declaretur. Nam ſi non eſt immenſus, certum haberet ſuæ præſentiæ terminum, adeoque nec infinitus nec perfectiſſimus, nec immutabilis foret, ſed ab aliquo determinante penderet. Ex immenſitate Dei neceſſariò ſequitur, quòd ipſius eſſentia ſit tota in toto mundo, & tota in ſingulis partibus.

X. *Si Deus eſt ens infinitum, eſt incomprehenſibilis, adeoque invißibilis & ineffabilis:* comprehendere enim eſt rem adequatè videre, id eſt, in tantum videre in quantum eſt viſibilis; videre autem eſt rem clarè ac evidenter cognoſcere prout in ſe eſt. Effari denique eſt adæquatum rei conceptum adæquatè exprimere. Cùm autem res finita non ſit adæquatè

capax

capax infiniti, Deus autem ſit infinitus, neceſſariò ſequitur Deum eſſe incomprehenſibilem, Inviſibilem, ac ineffabilem, ſcilicet reſpectu creaturarum intelligentium, non verò ratione ſui: Nam ſeipſum perfectiſſimè videt, ac exprimere poteſt.

XI. *Hactenus de attributis Dei quæ ipſi competunt quatenus ens eſt: ſequuntur ea quæ ipſi conveniunt, quatenus eſt ſubſtantia vivens.*

Si Deus eſt ens non factum eſt ſubſtantia; nam ſi eſſet accidens eſſet ens factum, dependens, quia omne accidens dependet à ſubſtantia cujus eſt accidens. Eſt autem, ut ex ſuperioribus patet, ſubſtantia perfectiſſima.

Si Deus eſt ens non factum & perfectiſſimum eſt ens vivens. Ens enim vivens eſt ſubſtantia quæ intrinſecè in ſuo connaturali ac perfecto ſtatu operatur, ſeu quæ eſt perfectum immanentis operationis principium.

Vita autem ſumitur vel pro actu vel pro potentia activa: priori modo eſt operatio perfectiva à principio activo & intrinſecè ejus in quo eſt illicita, ſeu eſt operatio perfectiva intrinſecè à natura ejus cujus eſt emanans. Poſteriori modo eſt ipſum principium activum intrinſecum talis operationis, ideoque ipſa rei viventis ſubſtantia. Jam ſi Deus non viveret, nec eſſet ens independens, utpote cujus actio pendet à principio extrinſecè: nec perfectiſſimum, cum vivens in ſuo genere ſit perfectius non vivente.

Nam actio est proportionalis agenti, actus autem vitæ est nobilissimus, cùm & maximè fit intrinsecus, & ad ipsiusmet agentis perfectionem immediatè faciat. In Deo autem actus vitæ primus non distinguitur ab actu vitæ secundo, sed vita Dei est purissimus ac simplicissimus actus, secus Deus nec esset simplicissimus, nec immutabilis

XII. *Attributa Dei quæ ipsi competunt quà vivens est a nobis concipiuntur* vel per modum *facultatum*, vel per modum *virtutum* istis facultatibus competentium, vel denique per modum *status*, quo Deus ipsiusque attributa perfectissimo modo se habent.

XIII. *Facultates sunt perfectissimæ vitalium operationum vires*, hæ nihil sunt aliud quàm purissimi actus, à nobis tamen per modum facultatum concipiuntur, in quantum facultates permanentem quandam perfectionem exprimunt: vires autem hæ nullo modo sunt passivæ, sed perfectissimè activæ, ideoque superiora attributa omnibus ac singulis sunt applicanda.

XIV. *Facultates divinæ sunt intellectus, voluntatis ac potentiæ divinæ executivæ.* Cùm Deus sit ens non factum ac simplicissimum, necessariò est spiritus & quidem perfectissimus & planè inmaterialis.

Si spiritus, utique hæ tres facultates ipsi necessariò competunt; quia ad intrinsecam spiritus perfectionem requiruntur. *In-*

XV. *Intellectus divinus est perfectissimè omnia cognoscendi facultas.*

Si Deus non esset natura Intellectualis & Intelligens, neque ens independens neque perfectissimum foret: Ens enim Intelligens præstat non intelligenti, ut cuilibet non bruto patet: neque ens simpliciter primum à quo pendent omnia entia secunda, cùm ens Intelligens non possit produci ab ente non intelligente: hic patet amplissimus disputationis campus ac modus, intellectio enim Dei libera est ab omni causa, quia Deus intelligit omnia per suam essentiam propter suam perfectionem.

XVI *Intellectio Dei consideratur ratione ipsiusmet intelligentis; ratione rerum intellectarum, & ratione modi intelligendi*, ubi notandum quòd nulla in Deo sit intellectio accidentalis, sed tantùm substantialis.

XVII. *Ratione sui seu intelligentis, Deus omnia illa quæcunq; intelligit, intelligit propter se, à se, per se, ac in se:* Propter se, quatenus illa intellectio est intima ipsius perfectio & quidem substantialis: à se, quatenus ejus intellectio est independens à principio quocunque etiam ab ipso objecto, ita ut objecti mutabilis variatio, nullam inferat in intelligente mutationem: per se, quatenus ipse non utitur specie intelligibili, sed omnia accuratissimè videt per suam essentiam: Denique in se & quasi ex se, quatenus ille non abstractivè vel se, vel alia se, sed sum-

mè intuitivè cognoscit, & distincta quidem à se & in se tanquam causa prima videt eminentissimè & etiam formaliter juxta proprias ipsorum essentias distinctissimè: uno verbo, divina essentia est & ipsa intellectio, & finis & principium & quasi species intelligibilis, & denique adæquatum suum objectum, quorum si vel unicum negetur, negatur Dei æternitas, infinitas, immutabilitas, simplicitas, independentia, & omnimoda perfectio.

XVIII. *Ratione rerum intellectarum, Deus intelligit omnia cognoscibilia adeoque & se & omnia reliqua entia distincta ab ipso, ita ut ipsius intellectio ratione objecti omni modo & gradu sit universalis.* Cognoscit se, secus nec ipse, nec intellectio ipsius esset perfectissima aut independens, quò enim nobilius est intelligibile eò cæteris talibus nobilior est intellectio: nec Deus sibi sufficeret, nisi seipsum comprehensivè, idest, adæquatè cognosceret. Cognoscit omnia ab ipso distincta, *universalia* & *singularia*, nisi enim hæc cognosceret, cognitio ipsius esset imperfecta, confusa & inutilis, cùm sola singularia in rerum natura existant; *vera* & *falsa*, *bona* & *mala*, secus non esset infinita: non solùm actu existentia, sed & possibilia, necessaria & contingentia, adeoque liberrimos & sui & cujusvis creaturæ intelligentis actus; *maxima*, *medioxuma*, & *minima*, omnes substantias & accidentia, omnes

nes ipsorum *modos* & *gradus*. Nisi enim Deus omnia & singula entia, idest, tam positiva quàm negativa & privativa perfectissimè cognosceret, nec ipsius cognitio esset infinitæ ac immutabilis perfectionis, nec seipsum comprehenderet. cum in comprehensione attributorum horum omnium cognitio includatur.

XIX. *Ratione modi intelligendi, Deus intelligit omnia actu unico, simplicissimo, immobili; ac immutabili*; non in tempore, sed ab æterno; non per compositionem, per divisionem aut discursum, sed actu indivisibili; non confusè ac universaliter, sed distinctissimè ac singularissimè, non per species intelligibiles, sed per suam essentiam, quia ipsius essentia eminenter in se continet omnia entia possibilia adeoque tanquam infinitis modis imitabilis ea clarissimè repræsentans, non apprehensive, sed comprehensive, non abstractive, sed intuitive, non successive, sed simul, tum ex parte sui, tum ex parte rerum scibilium; non ita ut ipsius cognitio dependeat à rebus cognoscibilibus, sed ut res creatæ cognoscendæ dependeant ab ipsius cognitione; non progrediendo à notiori ad ignotius, quasi cognoscat unum suâ naturâ esse notius altero, sed intimè omnia & singula penetrando: cognoscit autem res bonas quasi immediatè, malas autem cognitis bonis, quatenus sunt negationes bonarum.

XX. *Quamvis autem scientia Dei sit unica, attamen doctrinæ causa dividitur in scientiam simplicis intelligentiæ & visionis.* Illa est quâ Deus videt omnia possibilia sive sint futura sive non, & fundatur proximè in ipsa essentia ac omnipotentiâ Dei: hæc est quâ Deus videt certò futura, quæ fundatur proximè in voluntate Dei. Tertia verò quæ à recentioribus quibusdam fingitur, scientia media, quâ Deus præscit quid in hoc vel in illo rerum statu citra suam prædestinationem futurum esset, est absurda, cùm immutabilitati, independentiæ & omnipotentiæ divinæ repugnet.

XXI. *Virtutes quæ divino intellectui attribuuntur, non significant aliquam distinctionem inter potentiam & actum, nec aliquam facultatis imperfectionem, sed summam ejus eminentiam:* ex sumuntur vel à rebus intellectis, vel ab intelligendi modo.

XXII. *Ratione rerum intellectarum est omniscientia quæ cognoscit omnia cognoscibilia:* Intelligentia, quâ cognoscit prima rerum principia, adeoque ipsius scientia est altissima, & simpliciter à priori: & præscientia quâ cognoscit res à se diversas, antequam in se ipsis sint.

XXIII. *Modus intelligendi respicit vel intellectus applicationem vel operationem.* Ratione applicationis est perfectissima & non interrupta consideranti a, quâ Deus non procedit à non cogitando ad cogitandum, vel ab eo cessat, sed

ab

ab æterno in æternum manet immutabili ac attentissimo cogitationis actu, quæ perfectio aliquando vocatur vigilantia.

XXIV. *Ratione operationis varia formantur nomina.* Nam ratione accurationis dicitur scientia: ratione penetrationis & infallibilitatis dicitur perspicacia, quâ omnia etiam intima oculis ejus patent. Ratione omnimodæ congruentiæ dicitur sapientia, quâ singula individua, ipsorumque statum perfectissimè dignoscit: ratione deliberationis, prudentia, & denique ratione executionis, ars.

XXV. *Hinc omnes habitus intellectuales aliquam imperfectionem includentes sunt removendi à Deo*, quales sunt cogitantia, cognitio à posteriori, adeoque experientia docens, discere, dubitatio, opinio, conjectura, suspicio, fides alterius relatione nitens, insipientia, imprudentia, inertia, & generaliter qualiscunque error, nam vel minima ejusmodi imperfectio divinas perfectiones supra demonstratas evertit.

XXVI. *Voluntas divina est perfectissima spiritualia appetendi facultas.* Si Deus non haberet voluntatem; nec intelligens, nec primum, nec perfectissimum ens foret. Competit à Deo volitio propriè & accuratè loquendo, neque enim est extrinseca denominatio, sed est intrinseca divinæ naturæ perfectio, qua res perfectissimè cognitas & suæ & ipsarum naturæ convenientissimè appetit.

XXVII. *Volitio Dei consideratur ratione ipsiusmet volentis, ratione rerum volitarum; & ratione mali volendi.*

XXVIII. *Ratione ipsiusmet volentis, ut voluntas Dei non est facultas à divina essentia diversa*, nec ipsamet volitio seu volendi actus est perfectio divinæ naturæ addita, sed utrumque scilicet voluntas & volitio est ipsissima Dei essentia, adeoque simpliciter independens, simplicissima ac fundamentalis tam moraliter ratione constantiæ, quàm physicè ratione entitatis, unde nec incipit nec desinit velle, sed omnia quæ vult ab æterno uno simplicissimo, prorsusque immutabili ac irrevocabili actu vult.

XXIX. *Hoc mysterium breviter sic demonstratur.* Volitio Dei aut dicit perfectionem intrinsecam, aut non dicit: si non dicit, non est actus vitalis, omnis enim actus vitalis, vel est operatio immanens, vel fluit ab operatione immanente: Si dicit intrinsecam perfectionem Dei, ut revera dicit, ergo si incipit, ante Deus non fuit perfectus; si desinit vel mutatur postmodum non est Deus perfectus, utrumque est absurdum.

XXX. *Volitio Dei ratione rerum intellectarum est congruentissima:* nam cujuslibet naturæ est accommodatissima: unde duplex respectu nostri oritur voluntatis divinæ actus, quorum primus strictè dicitur volitio, alter nolitio: nam ob

objectum divinæ voluntatis vel tanquam conveniens approbatur, vel tanquam inconveniens improbatur, sive illa convenientia vel inconvenientia sit talis simpliciter, vel secundum quid.

XXXI. *Volitio est actus divinæ voluntatis positivus quo vult res esse simpliciter vel certo modo & gradu.*

Nolitio est actus divinæ voluntatis positivus, quo vult aliquas res non esse vel simpliciter certo modo & gradu. Dico autem positivus, quia suspensio vel cessatio à volitione dicit imperfectionem, nec nolitio divina est nulla non applicatio voluntatis, sed est efficax ejusdem determinatio: hinc quoniam Deus omnium rerum naturam ut novit, ita determinat, inde gratia Dei universalis ratione decreti explicatur.

XXXII. *Res circa quas versatur divina voluntas sunt bonæ vel malæ*: bonæ sunt vel summè bonæ, vel non summè malæ.

XXXIII. *Res quæ est summe bona eam Deus vult simpliciter, & necessario*, necessitate scilicet naturæ, ita ut eam non possit non velle nec alio modo graduque, quàm ipsius summis boni capacitas seu volubilitas requirit. Tale summum bonum est unicum, nimirum totus Deus, ideoque se solum necessario ac summè amat.

Nam omne bonum quatenus est bonum

amabile est: hinc omnia quæ Deus vult, vult propter se, à se, per se, & ad se; unde Deus rectè dicitur summus omnium volitionum finis: Deus igitur præter se nihil necessario amat.

XXXIV. *Res non summè bonæ considerantur dupliciter ratione divinæ approbationis & executionis.* Ratione divinæ approbationis Deus quamlibet rem amat prout in se est amabilis, ideoque pro vario modo & gradu rerum variè eas approbat. Ratione executionis Deus nihil quod non sit summè bonum, necessariò ita amat, ut illud velit existere, secus dependeret à rebus creatis. Potest itaque eas velle vel nolle, si considerentur simpliciter in se, quasi ante decretum divinæ voluntatis, sed quod semel voluit, id non potest non velle, eo quòd semel voluit, idque ob divinam suam immutabilitatem, præterea etsi res illæ quæ non sunt summè bonæ inter se habeant ordinem, finem & medium, & Deus velit ut res una sit propter aliam, non tamen Deus vult non unam propter aliam, quia ipsemet non solùm res ipsas, verum etiam rerum subordinationem & coordinationem vult independenter ab ipsis, non enim suæ volitionis Deus causam impulsivam, exemplarem vel finalem externam habet, sed Deus ipse ejusque voluntas est prima ac unica suæ volutionis causa finalis, interna impulsiva & interna exemplaris. Cùm enim divina voluntas sit ipsamet Dei essentia, causam nullatenus habere potest.

Res

XXXV. *Res malæ circa quas divina voluntas versatur sunt & summè malæ, & sunt non summè malæ*: summum malum Deus nullatenus velle potest, ideoque summum malum simpliciter & impossibile, intellige summum malum simpliciter, non in certo genere. Nam ut Deus amat summum bonum necessario: sic necessario summum malum odit.

XXXVI. *Res malæ quæ non sunt summè malæ vel sunt mala culpæ, vel mala pœnæ*. Malũ culpæ est illegalitas seu peccatũ, id est, incongruentia cum norma agendi, adeoq; cum lege Dei. Etsi autem Deus peccata non possit velle voluntate approbationis, secus non essent peccata, attamen potest ea velle voluntate executionis, non ut ea facit: Nam Deus nihil facit quod non sit bonum, sed ea fieri permittit, id est ut velit ut ea fiant ab angelis vel hominibus quibusdam. quod quamvis prima fronte paradoxon videatur, attamen ex lumine rectæ rationis est clarissimum: Etenim peccata quæ fiunt, aut fiunt præsciente Deo, aut non præsciente; si si hoc, ergo Deus non est omniscius ab æterno, si fiunt præsciente Deo (ut revera fiunt) aut fiunt volente Deo, aut nolente, ita ut ille nollet ea fieri, attamen fiant: Si hoc, Deus non est omnipotens; nam qui non potest obtinere id quod vult, is non potest omnipotens esse: ergo fiunt voluntate Dei.

Ratio autem quòd Deus possit velle permit-

tere peccata est, quia peccata non sunt summè mala, quamvis enim formaliter & in se mala sint, tamen ratione eventûs & per accidens possunt esse media ordinata ad bonum. Major est virtus mala ordinare ad bonum, quàm bona, cùm aliàs etiam bona sint. Sic meliùs fuit quòd peccavit Adam ad divinæ gloriæ illustrationem. Nam faciliùs est sanum conservare in sanitate, quàm morbidum ex morbo sanum facere. Nam divina omniscientia, justitia ac potentia ea infallibiliter ordinat ad bonum, id est, excellens.

XXXVII. *Mala pœnæ sunt ipsæ pœnæ*: pœnę si sunt justæ, non sunt per se malæ, sed bonæ, nam bonum est malis esse malè: pœna autem est malum statûs seu passionis propter malum actionis naturæ intelligentis inflictum. Unde pœna tantùm respectu ejus qui punitur est mala seu incongrua, non respectu societatis.

Peccata fiunt necessariò ratione primæ causæ, sed ratione causarum secundarum fiunt voluntariè: quia pœnæ habent rationem veritatis, ergo Deus vult; hinc Deus non tantùm vult ut sint pœnæ in rerum natura, verùm etiam eas approbat atque efficit: hinc accuratè notandum quod detur mixtum quoddam genus malorum quæ sint & mala pœnæ, & mala culpæ, seu quod duplex hic respectus uno eodemque actu possit concurrere. Sic stupratio concubinarum Davidis fuit & malum culpæ respectu

ſpectu Abſolonis, & malum pœnæ reſpectu Davidis, pro diverſo autem reſpectu diverſi modi ſunt, ad Dei voluntatẽ hi actus referendi. Nam quà peccata ſunt, Deus non eſt ipſorum cauſa; ſed quà actus pœnales ſunt, Deus eſt ipſorum cauſa: peccatum peccato puniri eſt virtus. Non eleganter dicitur, Deus pios punit propter peccata, cùm aliquando punitionis Dei amor ipſius eſt cauſa impulſiva.

XXXVIII. *Modus volendi in Deo, ipſius perfectioni & rerum volitarum conditioni eſt congruentiſſimus.* Eum autem & virtutes & effectus qui Deo competunt exprimunt.

XXXIX. *Virtutes divinæ voluntatis ſunt generalioress vel ſpecialiores:* generaliores ſunt libertas, immutabilitas, ſynceritas, efficacitas; ſanctitas & prudentia.

XL. *Libertas eſt divinæ voluntatis perfectio quâ ipſa ad actiones circa creaturas actioniſque modos & gradus independenter ab omni conditione antecedente determinat*, ita ut prima omnis convenientiæ & differentiæ radix in creaturis ſit liberrima volitio divina. Niſi ejuſmodi omni modo graduque libertas Deo competat, tunc ipſe non eſt ens ſummè ordinativum, ſed etiam ordinabile, adoque non eſt ſimpliciter primum & independens, ſed ſuo modo ſecundum & dependens.

XLI. *Immutabilitas eſt divinæ voluntatis conſtantia qua id quod ſemel voluit non poteſt non velle*

velle, id quod semel noluit non potest velle, idque eo modo & gradu quo voluit & noluit. Hanc immutabilitatem evincit Dei perfectio, imprimis omniscientia ac omnipotentia Dei: quomodo autem absoluta Dei libertas cum summa ejus immutabilitate consistere queat, est unum ex profundissimis mysteriis Dei: quare observandum est, actus divinæ voluntatis considerari vel in se vel respectu objectorum suorum, id est absolutè vel terminativè: absolutè in se spectati sunt simpliciter necessarii cùm sint ipsa essentia divina. Terminativè verò sunt liberrimi. Ratio hujus rei est quia tanta est actuum divinæ voluntatis eminentia, ut ipsi planè iidem manentes, possint citra sui mutationem, additionem vel subductionem facere diversa, ita ut terminatio illa ad objecta creata ipsis non addat extrinsecam quandam perfectionem, sed extrinsecam quandam relationem: hic titulus excludit omnes in Deo actus contrarios.

XLII. *Sinceritas est divinæ voluntatis perfectio, qua omnes actus, scilicet executio & significatio accuratissime inter se congruunt sibique correspondent.* Hinc voluntas Dei distinguitur in occultam & manifestam, seu in voluntatem beneplaciti & signi. Illa est sapientissimum & efficacissimum de rebus omnibus decretum, hæc est significatio aliqua decretorum facta creaturis rationalibus, quæ nunquam decretis di-

divinis repugnat, licèt ea perfectè non exprimat: neque enim modi docendi ſunt norma vel perfectum divinorum decretorum ſpeculum, ſed ſunt norma officii creaturarum intelligentium. Unde in illa nulla eſt vera contrarietas, licèt ab hominibus ſigna cum ſuis ſignatis malè conferentibus, videatur quædam ἐναντιοφάνεια. Deus voluntatem ſuam non totaliter manifeſtat, ſed ſignificat per ſua præcepta quid velit à nobis fieri. Deus decreverat Chriſtum moriturum non obſtante precatione. Sic officioſè facit filius ſi oret pro patre ægro, tamen Deus áliter decrevit ut moriatur, omnia Dei præcepta obligant, ſed non ita decernit Deus multa.

XLIII. *Efficacitas eſt divinæ voluntatis perfectio, qua ipſa ſemper intentionem ſuam aſſequitur eo modo & gradu quo vult:* hinc rectè dicitur irreſiſtibilis, nam reſiſtentiam creaturarum tollit, & ex reſiſtentibus facit non reſiſtentes, vel eam ſuperat. Nam impoſſibile eſt ut in ſenſu compoſito creatura reſiſtat Deo. In ſenſu diviſo poteſt creatura reſiſtere, ſcilicet ſi divina efficacitate ſe non applicet Deus creaturæ. In ſcriptura ſacra cum dicitur homo operi vel Spiritui S. reſiſtere: intelligendum non de convertendis, ſed de non convertendis hominibus reſiſtentibus, ut Phariſæi reſiſtebant, non populus, cum Chriſtum audirent.

Reſiſtere Deo dupliciter ſumitur, vel volun-

tati

tati Dei simpliciter, & sic nemo resistit, vel præceptis, & sic papistæ resistunt, ut Esaiæ 5. de præceptis.

XLIV. *Prudentia est divina voluntatis perfectio quâ media & rerum naturæ & finibus suis accommodatissimè ordinat.* Hinc irresistibilis Dei ordinatio non tollit creaturarum intelligentium libertatem: sed eam ponit & conservat, neque enim Deus repugnat rerum à se creatarum naturæ, sed ei maximè congruit.

XLV. *Itaque non est oppositio inter ejus determinationem & determinationem creaturarum, sed subordinatio;* determinat enim creaturas ut seipsas determinent.

XLVI. *Sanctitas est divinæ voluntatis perfectio, quâ omnia ipsius decreta, & actiones singulari modo, & gradu æquitati congruunt.* Sanctissimus Deus dicitur quia est separatus ab omni incongruentia. Sanctitas est excellentia quædam puritatis, seu virtutis moralis: hæc igitur eminenter in se complectitur virtutes Deo dignas, ita ut ne minima species imperfectionis in ejus actionibus appareat, quare hæc sanctitas per speciales virtutes est deducenda.

XLVII. *Virtutes speciales vel nullam includunt imperfectionem, vel aliquam includunt.* Illæ formaliter sunt in Deo, adoque primariò in se ipso, secundariò in creaturis. Tales virtutes sunt justitia generaliter considerata, charitas, benevolentia, fidelitas, justitia distributiva & vindicativa, & removens incongruentia. Vir-

XLVIII. *Virtutes quæ aliquam imperfectionem includunt, nimirum vel respectum quendam inferioris ad superiorem, vel respectum ad passiones, non sunt formaliter in Deo, sed tantùm eminenter, ipsique attribuendæ sunt ratione perfectionis, non imperfectionis.* Sic Justitia accuratè loquendo non potest intercedere inter Deum & creaturas aut fœdus æquale; similiter nec temperantia, nec modestia, nec fortitudo, nec civilitas & similia formaliter possunt esse in Deo. Affectus non tribuuntur Deo propriè, sed effectus propriè.

XLIX *Idem judicium ferendum est de affectibus*: nam affectus vel *sumuntur physicè*, quatenus oriuntur ex alteratione humorum, sic nullatenus conveniunt Deo, vel spiritibus intelligentibus: vel *sumuntur Metaphysicè* pro inclinatione entis ad ens, sicque sunt duplices; nam vel dicunt perfectionem sine imperfectione, ut amor, voluptas, gaudium, odium, ira. Vel dicunt perfectionem cum imperfectione; & hi sunt purgandi, θεοπρεπῶς intelligendi, ut, tristitia, pœnitentia, spes, metus, admiratio, nimirum Deo tribuenda est perfectio, removenda verò imperfectio.

L. *Sequitur ut agamus de potentiâ Dei executivâ.*

Potentia Dei activa, est potentia Dei activa quâ Deus extra se potest facere quidquid est factibile.

Latius patet potentia Dei activa quàm executiva

cutiva. Potentia Dei generaliter considerata est potentia quâ Deus potest producere omne producibile; sive illa productio sit ad intra, sive ad extra. Potentia Dei executiva est quâ Deus potest facere extra se, quamvis in reipsa sit una & eadem potentia, attamen quia nondum demonstravimus productionem ad intra esse possibilem, ideo hoc in loco agemus tantum de potentia ad extra, præsertim cùm potentia ad intra non sit productiva entialis sed personalis, Talem ac tantam executivam potentiam competere Deo manifestum est, ex eo quod sit ens non factum, primum & independens. Etenim necesse est ut omnia entia facta, omnesque ipsorum operationes sint ab ente non facto, ideoque omnia entia possibilia quæ fiunt, fieri queunt ab ipso.

LI. *Potentiam Dei executivam considerabimus, ratione ipsiusmet Dei potentis, ratione rerum possibilium, & ratione modi operandi.*

LII. *Ratione Dei ipsius potentia non est res in ipso distincta*, sed ipsissima essentia, scientia & voluntas divina, & tantùm ratione ob inadæquatum nostrum conceptum ab aliis diversa, estque purissimus actus: ac potentia dicitur non tam ratione Dei, quam rerum possibilum, estque simpliciter infinita,

LIII. *Ratione rerum possibilium est simpliciter universalis.* Adeoque omnipotentia, quâ nimirum potest facere omne factibile, id est, omne id quod vult & velle potest. Fa-

Factibile seu possibile est quod non includit repugnantiam mentis, seu contradictionem, nimirum quòd nulli perfectioni divinæ repugnat, neque sibi ipsi. Radices itaque omnis possibilitatis sunt divinæ perfectiones: neque enim divina potentia fundatur in rerum possibilitate, sed rerum possibilitas fundatur in divinâ potentiâ, cum omnis potentia passiva fundatur in activa.

Repugnantia autem illa est tum intrinseca, tum respectu divinarum perfectionum, vel est explicita vel implicita, absoluta vel secundùm quid, seu respectu certi rerum status quasi mediata vel immediata: hinc Deus non potest facere impossibilia, non ob impotentiam, sed ob infinitam potentiam quâ non potest reliquis attributis Dei repugnare: sic Deus non potest mentiri, nec immediatè in suis sermonibus, nec mediatè in suis operibus; adeoq; non potest facere facta non facta, corpus revera infinitum, ubique præsens, non quantum: vide Hebr. 6. v. 18. mendacium est significatio internæ voluntati contraria.

LIV. *Cæterum cùm potentia Dei sit infinita, & nunquam exhauriri queat, duo hinc sequuntur corollaria, primâ quidem fronte paradoxa sed verissima.* Primum est de intensiva rerum productarum perfectione; alterum de extensiva: dicimus itaque primò, Deum nunquam posse facere res bonas, quin semper si velit facere possit

possit meliores: sic posset Deus & meliora individua, & meliores angelorum bonorum species facere, omnia quidem quæ facit sunt optima si conferantur cum Deo, ipsiusque idea, sed non sunt optima si conferantur cum rebus possibilibus. 2. Deus potest facere omnia possibilia divisim, sed non potest facere omnia possibilia simul ac conjunctim, vel collectivè; secus illis factis, nihil amplius posset facere; quæ res fundatur in divinæ potentiæ infinita perfectione.

LV. *Ex omnipotentia divina sequitur quod omnem creaturarum efficientiam supplere possit*, non tamen sequitur quod ipsemet possit intrinsecam materiæ vel formæ causalitatem exercere, hoc enim repugnat divinæ independentiæ perfectioni ac simplicitati. Nam causalitas materiæ & formæ necessariò quandam imperfectionem includit.

LXI. *Ratione modi, divina potentia distribuitur in potentiam absolutam & ordinatam.* Potentia Dei absoluta est quâ potest simpliciter facere omnia possibilia, sive sint futura sive non. Potentia Dei ordinata est quâ Deus potest facere illa quæ certo facere decrevit; dicitur ordinata quia ordinem naturæ, gratiæ vel gloriæ à se constitutum servat. Utraque potentia Dei est infinita, non quidem ex parte termini, seu ex parte rei productæ (nihil enim extra Deum potest esse infinitum) sed ex parte modi producendi,

cendi, nam Deus infinitam vim exerit. Philosophus potest omnipotentiam Dei considerare in genere, confusè non autẽ in specie ac distinctè, quamvis enim lumen naturæ divinã omnipotentiam cognoscat cofusè in genere, non tamen eam cognoscit distinctè & in specie, ita ut sciat quid supernaturaliter sit possible: Duplicia enim sunt ea quæ supernaturaliter sunt possibilia, alia sunt talia quoad substantiam, seu tam in fieri quam in esse, ut unio hypostatica duarum naturarum in Christo: alia verò quoad modum seu in fieri tantùm: Et hæc iterum sunt duplicia, nam alia tantùm causis supernaturalibus possunt fieri, ut illuminatio cæcitatis, resurrectio mortui: alia à causis naturalibus possunt etiam fieri, ut generatio hominis, productio pluviæ, (sed productio hominis ex terra est supernaturalis ratione modi) miracula sunt res naturales sed modus administrandi miracula est res supernaturalis, ut transmutatio aquæ in vinum, gradus prior est cognita difficilior secundo, secundus tertio. In plerisque mens philosophi ita se habet ut ea nec affirmare possit, nec negare debeat, sed de iis vel taceat vel dubitet, ut salvare per crucem.

LVII. *Hactenus egimus de divinis attributis sigillatim, restat ut agamus de ipsorum statu conjunctim, id est de divina beatitudine.*

Beatitudo est perfectissimus Dei omniumque ejus attributorum status, quâ ita se habet, ut nulla per

perfectio ipsi desit, sed sit beatudo infinita. Hanc autem beatitudinem in se continet vel formaliter vel eminenter, adeoque omnis creatæ beatitudinis & fons & scopus: hinc oritur mirabilis omnium divinarum perfectionum immeatio, quæ in praxi diligenter est attendenda.

LVIII. *Beatitudo Dei explicatur duobus attributis, Gloria scilicet & Gaudio.*

Gloria Dei est infinita ejus dignitas, quâ scilicet ipse summum apud omnes naturas intelligentes meretur cultum. Ex hac gloria quæ est glorificabilitas oritur ejus actualis glorificatio, quâ necessariò omnia quæ in rerum naturâ occurrunt bona vel mala ipsius gloriæ inserviunt, secus non foret beatus summus. Nam Dei cultus in eo consistit, ut ipse omnis boni ac creatæ beatitudinis primum principium, prima causa exemplaris, ac summus finis agnoscatur.

LIX *Gaudium Dei est summa voluptas quâ ipse in se, tanquam in summo bono, omnique suo statu tanquam beatissimo perfectissimè acquiescit.* hoc gaudium divinum oritur ex divina αὐταρκείᾳ, & παναρκείᾳ. Et sic de attributis divinis.

Esse dupliciter consideratur, vel objectivè, vel secundum suam existentiam, sic non omnia fuerunt ab æterno, priori modo fuerunt. Lumen naturæ est naturalis cognoscendi vis.

Quæstio an ratio vera possit cognoscere ea

quæ

quæ ſuperant mentem ? poſſe cognoſcere verè & accuratè, quod poſſit cognoſcere confuſè, probatur his rationibus, quia cognitio eſt proportionalis rei cognoſcendæ; quia facultas ſpiritualis non eſt alligata certæ circumſtantiæ temporis & loci : quia poteſt homo cognoſcere ens in quod omnia reſolvuntur, & quidem ſpiritualiter. Notificandum eſt Thema; notificans argumentum, notificandi modus ad certam illam argumentorum amplicationem : ens eſt thema notificandum an Deus poſſit demonſtrari à prioribus? diſtinguitur vel ut à cauſa, & ſic non demonſtratur, vel ex combinatione attributorum, & ſic poteſt Deus demonſtrari per rationem veram qua nos credimus.

Objectio. Illud poteſt notificare, à priori quod priori modo ſe habet, at in Deo non eſt tale; Reſponſio eſt in proxima quæſtione appoſita.

An Deus poſſit demonſtrari à poſteriori? affir. Demonſtratio à poſteriori eſt demonſtratio ab affectis. Argumentum prout eſt ens, ita habet eſſentiam, ita & exiſtentiam : ſicut habet exiſtentiam ita vim operandi, quæ vis citra perſonas fieri nequit.

Caput. IV.

De divinæ essentiæ unitate & personarum Trinitate.

I. *HActenus consideravimus Deum absolutè, sequitur ut consideremus relatè:* hic notandum quod ut relata fundantur in absolutis; sic etiam cognitio Dei relata, fundetur in cognitione ejus absolutâ. Ideoq; quæ superius sunt demonstrata sunt repedenda, ac inter se conferenda; nam ex illorum combinatione oriuntur sequentia principia.

II. *Consideratio Dei relata considerat Deum vel in se, seu naturâ suâ, vel ad extra, seu respectu operum.*

III. *Quæ Deum considerat in naturâ suâ, vel respicit essentiæ unitatem, vel personarum pluralitatem:* Hic quæritur an hæc duo lumine naturæ cognosci queant, nam si nequeant cognosci lumine naturæ non pertinent ad Philosophiam, sed ad Theologiam; de primo (nimirum Deum unum esse) non est quæstio adeo difficilis; quamvis enim Gentiles multos Deos finxerint: attamen cum id fecerint vel lumine naturæ sunt abusi, vel rationem non applicarunt: nam sunt evidentes sequentes demonstrationes à solo lumine naturæ petitæ, de secundo paulò post.

An

IV. *An sit pluralitas personarum divinarum?* Aff.

An Gentiles multos æquales Deos crediderint? Neg.

1. Nam Plato & Aristoteles per multos Deos intellexerunt Angelos. 2. Primas illas virtutes naturæ passivas. 3. Politiæ magnos homines ut Herculem, Neptunum.

Unitas essentiæ divinæ est perfectissima & summa quâ est Deus unus numero, ita scilicet ut impossibile sit essentiam divinam adeoque Deos multiplicari, quarè accuratè notandum essentiam divinam non esse unam genere vel specie, sed numero, id est singularissimam.

V. *Unitas essentiæ divinæ demonstratur vel quasi à priori, vel quasi à posteriori:* à priori tum ab ejus existentia, tum ab attributis quæ respondent existentiæ modo & gradu, ut supra.

VI. *Ex Dei existentia sic probatur ejus unitas;* Si Deus est, necessariò est ens simpliciter necessarium, secus non esset ens non factum. Si est ens simpliciter necessarium, utique necessariò existit. Si necessariò existit actu, utique necessariò in quantum existit est ens singulare. secus illa singularitas foret extra essentiam istius entis necessarii; Et sic ens non esset necessarium, qui non necessariò existeret actu.

XII *Ab attributis duo evidentissima sumuntur argumenta* ab infinita perfectione: abterum ab omnipotentia.

VIII. *Ab infinita divinæ essentiæ perfectione, ejus singularitas sic demonstratur.*

Si Deus est necessariò perfectionis infinitæ, Deus necessariò est unicus; antecedens supra fuit probatum: consequentia sic probatur: quicunque est infinitæ perfectionis, is necessariò omnem perfectionem possibilem habet in se, secùs posset concipi, & esse aliquod ens ipso perfectius. At si plures essent dii, nullus illorum haberet infinitam perfectionem, nullus enim haberet essentialem perfectionem alterius, secus non essent plures dii; ergo nullus ipsorum haberet infinitam perfectionem, nam singulorum perfectio aut est summa aut non est summa; si non est sum ma non sunt dii: si est summa etiam quilibet ipsorum careret summâ aliorum perfectione, adeoque non haberet omnem possibilem perfectionem in se: hæc demonstratio illustratur, interrogaretur an plures illi dii inter se differant numericé tantum, vel etiam specificè, nam protinus deprehenderetur absurdum.

IX. *Ab omnipotentia Dei, sic demonstratur ejus unitas.*

Si Deus est omnipotens, Deus est numero unicus: at Deus est omnipotens, ut supra probavimus; ergo est unicus. Patet consequentia, si Deus est omnipotens, utique potest facere quod vult: at si plures sunt dii, nullus ipsorũ potest facere quod vult: nam eorũ necessario

riò idẽ volunt aut possunt velle diversa vel prorsus opposita; si hoc, clarum est quòd non possint facere id quod volunt, sive enim unus aliũ impedire queat, sive nequeat, necessariò sequitur quòd saltem unus non possit facere quod vult.

Si autem necessariò prorsus idem volunt, nec diversa aut opposita velle possunt: unde illa necessitas vel est à libertate, & sic possunt diversa aut opposita, vel est à naturæ necessitate, sic necessariò habebunt prorsus eandem naturam seu essentiam, adeoque non erunt plures dii.

Et à posteriori unitas Dei demonstratur ex ejus effectibus, nimirum à panharmonia mundi.

Si Deus non est unus, non est universalis ordo in rerum natura: consequens absurdum, ut supra docuimus & breviter sic demonstravimus.

Si sunt plures dii, aut singuli habent absolutum dominium, adeoque absolutam potentiam ac potestatem in singulas creatas; aut non habent. Nam si unus absoluto suo domino in rem uti voluerit, alius nullatenus ea potest uti; Ergo nullus potest esse ordo universalis, consequentia sic patet: si in rerum nntura est ordo universalis, utique unus est rerum summus finis, prima efficiens & prima causa exemplaris, & ita necessariò essentiâ sunt, unum, & si plures sunt dii, hæc omnia sunt impossibilia.

X. *Sequitur ut agamus de divinarum personarum pluralitate, de qua sequentia sunt cognoscenda.*

1. Hoc mysterium est summum in universa rerum natura: agitque de intima essentiæ divinæ perfectione, quæ Intellectui finito, quoad distinctam cognitionem est incomprehensibilis.

2. Utraque ut ab homine cognoscatur perfectè prout in se est, est impossibile, mens itaque humana debet modestiæ quàm maximè studere, & omnem perfectionem ipsi attribuere, omnem verò imperfectionem ab ipso removere.

3. Non tamen est contra rationem humanam, secus nec credi nec intelligi posset, & quid quid est contra rationem, illud est falsum, credere est assentiri propositioni certæ.

4. Plerique Theologi ob difficultatem existimant quòd lumine naturæ nullatenus cognosci queant; sic fermè sentiunt omnes etiam Scholastici quamvis concedant quòd argumentis à recta ratione contra illud penitus possit satisfieri.

5. Quamvis in contingentibus recta ratio possit aliquid nec affirmare nec negare, sed de eo dubitare, attamen in simpliciter necessariis, eo ipso quo ostenditur aliquid non esse impossibile, eo quoque ostenditur idem esse necessarium, præsertim in divinis. Ratio, quia id

quod

quod in divinis est possibile, id necessariò dicit summam perfectionem. At summa perfectio necessariò est in Deo, Itaque si recta ratio possit ostendere quòd mysterium hoc non sit impossibile, quodque adversariorum argumenta nullam imperfectionem evincant, indirectè quoque potest ostendere quòd sit revera.

6. Actus rectæ rationis sunt incomplexi vel complexi: actus rectæ rationis incomplexus est vel ad rem cogitandam seu Thema, applicatio; vel argumenti seu cogitationis inventio.

Actus complexus est rationis de Thematis & argumenti combinatione judicium; ad quod non requiritur distincta & omnimodè perfecta terminorum cognitio, vel ut loquuntur penetratio (secus nullum axioma ratione esset evidens) sed sufficit cognitio confusa, quæ saltem aliquam licèt imperfectàm terminorum definitionem apprehendit: unde aliud est nullo planè monente aut indicante aliquod mysterium arte invenire; aliud, mysterium indicatum demonstrare; Illud forsan accidit in hoc statu generis humani, quia plerumque rebus sensibilibus est addictum: hoc autem frequenter contingit. Sic quamvis gentiles Philosophi de infinitate Dei, creatione rerum, similibusque mysteriis nunquam forsitan cogirint; attamen de iis moniti, illa demonstrare & potuissent & debuissent.

7. Recta ratio consideranda est secundum

tres ſtatus, ſcilicet *ſtatum conſtitutionis*, ſic integra humana ratia non ſolùm poterat cognoſcere myſterium Trinitatis, verùm etiam maximè debebat, hoc enim erat primum & naturaliſſimum ejus objectum.

In ſtatu deſtructionis ut circa univerſa intelligibilia eſt proturbata, ita maximè circa nobiliſſimum hoc objectũ, licet autem plurima & maxima ſe offerant impedimenta, naturalis tamen intellectus capacitas non eſt ſublata *in ſtatu reſtitutionis*; divina revelatio ſupplet defectum incongruentię ac ignorantię humanę. Unde ratio per actum reflexum poteſt invenire argumenta myſterium hoc demonſtrantia. Hic πρῶτον Scholaſticorum ψεῦδος in hoc negotio eſt quòd præſupponant cognitionem hujus ſimiliumq; myſteriorum in ſtatu integro fuiſſe non naturalem, ſed ſupernaturalem, quod tam divinæ ſapientiæ ac bonitati, quàm hu- [illegible] humanæ naturæ perfectioni repugnat. Nam ſtatus naturæ perfectus debet eſſe inſtructus omnibus mediis neceſſariis, quibus ad ſummam perfectionem deduci poſſit. At ſumma hominis perfectio naturalis eſt ſumma ejus cum Deo unio, adeoque perfecta cognitio & amor.

De ſtatu reſtitutionis. Philoſophi non poſſunt perfectè concludere tamen in magis affirmantem quàm negantem rationem ſtatuere debent & ex recta ratione, & experientia.

8. Demonſtratio alia eſt à priori, alia à poſteriori.

ſteriori. Et à priori duplex alia quæ à cauſis rerum deſumitur, alia quaſi quæ non à rebus reipſa, ſed menti noſtræ prioribus deducitur, & hæc ſtrictè vocatur demonſtratio ab æquiparantibus. Talis demonſtratio ab æquiparantibus frequentiſſima eſt in Metaphyſica, & loco de Deo, cùm attibutum unum demonſtratur ex altero, licet reipſâ Trinitatis nulla ſit cauſa, attamen ex eſſentialium attributorum ſumma perfectione neceſſariò colligitur.

Deinde à poſteriori aliquid concluditur vel immediatè vel mediatè. Mediatè cùm aliquid colligitur ex effectis de cauſa, ex quo alio diſcurſu aliud de cauſa colligitur, Itaque hypotheſis Scholaſticorum falſa eſt, quod ex creaturis non poſſint colligi tres perſonæ, ſed ſingulæ etiam ſufficiant ad ipſarum creaturarum productionem. Non ſolùm enim hoc poſterius falſum eſt, cùm ordo trium perſonarum in qualibet creatura etiam minima appareat: verum etiam ejuſmodi perfectiones creaturæ & creatoris colliguntur, quæ ſine Trinitate locum habere nequeunt.

9. Itaque divinarum perſonarum ternarius demonſtratur, vel quaſi à priori vel à poſteriori. Dicimus ſacro S. Trinitatem eſſe ſocias cauſas creationis, propter intimam perfectionem; dicitur etiam propter ſummum inter ſe amorem, quod non ſine cauſa ſeria.

10. A priori demonſtratur vel ex termino-

rum generalium vel specialium combinatione. Illa suppeditat argumenta generaliora ac Philosophis notiora: hæc specialiora ac Theologis ferè propria. Itaq; his relictis, illa proponemus.

XI. *Ex terminis Metaphysicis, divinisque attributis inter se combinatis, sic procedemus.*

Si in Deo seu divina essentia, est substantia producens non producta, itemque producens & producta, utique in Deo sunt tres personæ. At verum prius, ergo & posterius. Consequentia hinc patet. 1. Quia personam intelligimus suppositum intelligens: 2. Quia substantia producens & producta necessariò differunt saltem subsistentiâ, quia nihil producit seipsum.

Minor probatur & quidem per partes, hoc modo: 1. Quod in Deo sit substantia producens & producta: 2. Quod in eo sint personæ tres, non plures nec pauciores.

In quo ente est infinita vis producendi, productivitas, in eo quoque est infinita productio, adeoque infinitum productum, & per consequens infinita substantia producens, itemque infinita substantia producta: filius generatur per modum naturæ, Spiritus sanctus per modum voluntatis spiratur. In filio enim est infinita producibilitas quæ terminata est in ipso, & exhausit perfectissimam productivitatem quâ filius illius terminus perfectus: hic nota per infinitam productionem non intelligimus infinitum numero, sed infinitum perfectione.

Con-

Conſequentia ultima hic patet, 1. quia nihil verè eſt infinitum niſi Deus. 2. Quidquid eſt in Deo eſt ipſe Deus, ſeu ſubſtantia divina, unde neceſſariò ſequitur quòd illa productio non ſit externa ſed interna, adeoque etiam infinita ſubſtantia producta.

Propoſitio ſyllogiſmi primi ſic demonſtratur.

1. Omnis potentia eſt propter actum ſuum adæquatum, & quæ potentia non poteſt aſſequi actum ſuum adæquatum, illa eſt fruſtra, adeoque impoſſibilis, adeoque ubi eſt infinita productio, ibi neceſſario eſt productum infinitum: Itaque ſi in Deo non eſſet infinita productio. 1. Actus non reſponderet potentiæ, nec operatio operanti: 2. Attributa divina imprimis bonitas minoris eſſet momenti & actualitatis, quam eſſent attributa creaturarum, quod eſt inconveniens. 3. Nullum productum quod non eſt in ſe Deus, qualecunque & quantumcunque ſit, eſt & poteſt eſſe perfectione infinitum. Minor nimirum, quòd in Deo ſit vis infinita producendi, ſupra fuit demonſtratum, quòd in Deo ſit omnipotentia, (potentia eſt ordinativitas ad actum) Itaque breviter cùm æternæ & infinitæ potentiæ neceſſariò reſpondeat æternus & infinitus actus; æterno & infinito actui reſpondet æternum & infinitum productum.

XII. *Non eſſe autem plures vel pauciores per*

sonas quàm supra positas, *sic evincitur*. Cum productum illud sit infinitum, ipsaque productio infinita, utique non erit extra Deum seu transiens, sed intra Deum seu immanens, adeoque productum erit ipse Deus, cum nihil sit infinitum præter Deum, nihilque sit in Deo quod non sit ipse Deus, ut supra in attributis probavimus.

Si productio illa divina sit immanens, necessariò erunt productiones duæ, itemque necessariò erunt tantùm duæ: at verum antecedens, ergo & consequens.

Consequentia hæc fit manifesta, quia in omni ordine ac multitudine, necessario est aliquid primum, adeoque in illis productionibus persona aliqua prima, seu producens non producta. Reliquæ verò personæ sunt duæ, & hinc patet. Si duæ sunt facultates immanentes in Deo, utique duæ erunt in Deo productiones, at verum prius, ergo &c.

Ratio 1. quia omnis facultas immanens est productiva & actus & termini, secus non haberet naturalem perfectionem. Posterius manifestum est ex natura entis intelligentis quod necessario est productum intellectu & voluntate. Productio executiva autem respicit productiones ad extra non ad intra.

Sequitur ut probemus duas esse productiones in Deo, id ostendit sequens ratio.

Tantæ perfectionis, efficacitatis & actualitatis

tatis est divina voluntas, quantus est divinus intellectus. At divinus intellectus est tantæ perfectionis, efficacitatis ac actualitatis ut producat personam infinitam, ergo & voluntas. Propositio patet ex æqualitate divinorum attributorum.

Deinde restat ut ostendemus duas tantum productiones non plures esse.

Si hæ personæ productæ sint prorsus adæquati termini, utique non sunt plures productiones: at verum prius, ergo & posterius.

Consequentia clara est, quia cum facultas actus obtinuit terminum suum adæquatum, perfectè quiescit, secus daretur processus in infinitum.

Minor hinc patet, quia personæ productæ sunt perfectionis infinitæ, adeoque persona producta & producens perfectè adæquat productionem per intellectum: persona verò producta & non producens perfectè adæquat productionem per voluntatem.

XIII. *Addamus jam quædam fundamenta, quibus adversariorum objectiones solvuntur, quas contra præcedentem demonstrationem adferre possunt.*

I. Non sequitur potentia Dei infinita quæ potest producere res creatas infinitas: nec tamen eas unquam producet: Ergo est frustrà.

Itaque nec sequitur quòd in Deo sit infinita productivitas: Ergo nec necessariò est in eo in-

finita productio; secus illa esset frustra.

Resp. negatur consequentia, quia est dispar ratio, nam impossibile ut productio entium finitorum requiratur necessariò ad perfectionem Dei: At consentaneum est ut infinita productivitas non possit esse sine infinito producto; neque ideo frustra est Dei omnipotentia quòd terminum suum adæquatum assequatur in his personis productis, quâ eminenter in se contineat omnes creaturas possibiles. Unde etiam creatio ab æterno Philosophis concedenda esset nisi productiones ponerentur, secus divinæ perfectiones ponerentur otiosæ.

2. Nulla est inæqualitas inter personas producentes & productas, quia fluunt non ex imperfectione naturæ divinæ, vel producentis, sed ex infinita perfectione & fœcunditate; & quia personis productis non communicatur alia vel nova essentia per productionem, sed prorsus eadem quam habet producens: unde iis omnis perfectio attribuenda, omnisque imperfectio ab iis removenda. Nam tantæ perfectionis est una persona, quantæ est altera.

3. Plures personæ simpliciter improductæ esse nequeunt, secus tolleretur ordo concordantiæ, & societas divina perfectione digna, & introduceretur confusio, discordantia, & superfluitas, ut ex congrua applicatione videre est.

4. Licet intellectus & voluntas divina non dif-

differant re sed ratione, sitque unum & idem, attamen sunt duo principia formalia productionum rerum diversarum: nam recta ratio omnino debet concedere duo principia admirabilia quidem, attamen verissima. 1. Quod una res absolutè prima necessariò sit res plures respectivè; quod una res simplicissima prima in se possit producere actus in re vera diversos, eosque in se eminenter continere: nisi enim hoc concedatur, nulla multitudo poterit resolvi in ordinatam & congruam unitatem, id est, unica persona producta non potest adæquare productutivitatem intellectûs & voluntatis divinæ, sed requiruntur omnino duæ, secus nec duæ illæ personæ primæ, nec producendi modus haberet infinitam perfectionem, quia modus producendi per naturam, non potest compensare modum producendi per voluntatem, quia productio per voluntatem formaliter dicit perfectionem infinitam.

XIV. *Sequitur demonstratio à posteriori, quâ ex constitutione ac proprietatibus creaturarum mysterium hoc demonstratur.*

Demonstratio hæc non est tam evidens, ut superior, quia nos veram anatomen creaturarum non didicimus. Est tamen utilissima præsertim in congruis similibus inveniendis, procedit autem non ab æquali ad æquale, sed à minori ad majus, hoc nimirum principio innixa, quæ perfectio apparet in creaturis, ea

lon-

longè nobiliori modo ac gradu eſt in creatore.

XV, *Demonſtratio hæc eſt communior vel ſpecialior*: Illa eſt quæ obſervat proprietates omnibus creaturis communes, adeoque fermè procedit ex principiis metaphyſicis: prout creaturæ ſunt nobiliores, ita illuſtrius repræſentant hoc myſterium: hinc in ignobilioribus dicitur hujus myſterii veſtigium, in nobilioribus, imago & ſimilitudo totius in Angelo & homine.

XVI. *Ex communibus omnium creaturarum proprietatibus, ſic procedimus.*

1 Si omne ens eſt creatum, eſt unum, verum, bonum; Ergo in Deo eſt ordo ille perſonarum quem ſupra poſuimus. Ratio conſequentiæ eſt, quia perfectio creaturarum eſt à perfectione creatoris, adeoque eſt ejus adumbratio. Deinde quia unitas entis tranſcendentalis eſt intima ac eſſentialis ejus cum ſeipſo congruentia, id eſt, prima ac radicalis & poſſibilitas & operativitas. Veritas autem eſt intima illa entis aſſimilativitas, quâ ſibi poteſt aſſimilare alia: bonitas itaque eſt intima illa entis aſſimilativitas cum aliis: Atque ex his tribus entium affectionibus effluunt omnes ipſorum habitudines & operationes, & ad ens vocari qaeunt, prima autem eſt radix ſecundæ, & ſecunda eſt radix tertiæ, minor conſtat ex metaphyſicis.

2. Si omne ens creatum eſt intimum ac

proiſus

prorſus neceſſarium, dicit reſpectum ad cauſam primò originalem, exemplarem ac finalem, ſequitur quòd ordo perſonarum à nobis poſitus ſit in Deo: atqui verum prius: Ergo & poſterius. Ratio conſequentiæ eſt, quia tres illæ cauſæ evidentiſſimæ debent repiriri in primo ente; ſecus tranſcendentalis hic creaturarum reſpectus eſſet abſurdus & ſine fundamento. At ſine Trinitate perſonarum locum habere nequit, hinc Pater reſpondet primæ cauſæ originali, Filius exemplari, Spiritus S. verò finali, quia in ea eſt ultima ac perfectiſſima quies: huc illud Rom. 11. v. 36. atque hæc eſt baſis altera catholica panharmoniæ rerum.

Minor patet ex Logicis & Metaphyſicis, quia hæ tres cauſæ requiruntur ad quemlibet effectum: unde etiam in quolibet ente creato perpendenda eſt emanatio, manatio & remanatio.

Hæc duo argumenta metaphyſica egregiè illuſtrantur & confirmantur. 1. Ex Geometriâ, ubi ex puncti longitudine, latitudine & altitudine naſcitur omnis dimenſio. 2. Ex Arithmetica, ubi ex primo & ſecundo fit ternarius, modo perfectiſſimo.

XVII. *Demonſtratio à poſteriori ſpecialior procedit vel ex entibus creatis intelligentibus, vel non intelligentibus:* entia intelligentia ſunt ſpiritus, angeli ſcilicet & animæ rationales, quæ hic conjungemus.

Si in ſpiritu creato prima ac radicalis potentia

tia immediatè resultat ex ejus essentia, & ab illa producitur mens; & ab his voluntas, (idque tum de facultatibus, tum de actibus intelligendo) sequitur quod in Deo sit talis ordo,

Ratio consequentiæ est quia inconveniens est. ut. hic perfectissimus ordo reperiatur in creaturis quæ sunt imago Dei, & non reperiatur in Deo: An autem hæ tres facultates in spiritualibus creatis reipsa differant; an verò sint unum, controvertitur inter philosophos, argumentum tamen manet firmum.

XVIII. *Ex creaturis non intelligentibus sive corporibus, sic demonstratur hoc mysterium.*

Omne corpus constat tribus principiis hypostaticis, quæ vocant, scilicet, Sale, Mercurio & Sulphure, quorum secundum oritur ex primo, tertium ex secundo & primo: hæc tria sunt accuratissimè maximèque proportionaliter inter se unita; ita ut hæc constitutio naturaliter arguat aliquam perfectionem; Ergo summa ternaria perfectio est in Deo.

Huc quoque pertinet quòd omne corpus animatum constat tribus, scilicet Sale, Mercurio & Sulphure; corpore, anima & spiritu; pulvere, aquâ & oleo (per Salem intelligitur conditas & Mercurii receptivitas, unde oritur vehemens quasi pinguedo.

Hæc tria principia, nimirum Salem, Mercurium, Oleum, non propriè sed propter maximam analogiam, propter defectum vocabulorum

lorum vocamus ita. In singulis autem corporibus naturalibus tria illa principia occurrere demonstratur partim ratione, partim experientia.

Ratione, omne corpus est compositum, Ergo constat ex pluribus, non ex duobus, quia extrema malè junguntur sine medio; Ergo, ex tribus; nam hic numerus sufficit, isque proportione convenientissimus.

Experientiâ, quia scientissima illa corporum naturalium anatome terminum illum admodum demonstrat.

CAPUT V.

De consideratione Dei relatè respectu creaturarum Societatis capacium.

SIc fuit consideratio Dei respectiva, respectu sui ipsius.

Restat ut eum consideremus respectu creaturarum Societatis capacium: hic itaque se offert locus insignis de operibus Dei, verùm quia nos versamur iu symbioticis. hic non est necesse ut applicem opera Dei respectu creaturarum non intelligentium.

Quamvis revera sint media unionis & communionis hujus, suntque consideranda tanquam res personarum symbioticarum. Deinde non

non est necesse ut in specie hanc Dei relationem edisseramus, quia hoc pertinet ad partes inferiores; sed sufficit eam attingere in genere.

Unde quàm diligentissimè principia generalia metaphysica, itemque symbioticæ communiones & axiomata de Deo supra demonstrata, hic sunt repetenda & applicanda.

I. *Hæc consideratio Dei respectiva est quâ Dei & creaturarum intelligentium societas resolvitur,* nimirum hic in genere, infra in speciè.

II. *Societatis hujus videndus finis, subjectum & media.*

III. *Finis hujus societatis est summus & subordinatus.*

Summus & architectonicus est congruentissima divinæ gloriæ manifestatio: hinc primò divina gloria est summa & universalissima hujus societatis mensura. 2. Deus non indiget hac societate cum non oriatur ex ejus imperfectione, sed perfectione quâ suis creaturis liberrimè communicat. 3. Hanc Dei ad naturas relationem non esse æquiparantiæ sed disquiparantiæ. denique in societate hac eum tanquam Regem cujus majestas prorsus est infinita præsidere, sicut sol non indiget pessimarum rerum communione, & tamen suam amplissimam lucem & communicativitatem suis, sic Deus communicat se creaturis propter gloriam suam.

IV. *Finis hujus societatis subordinatus est quarundam*

rundam creaturarum intelligentium beatitudo; dico quarundam, quia experientia & ratio docet non omnes Angelos, omnes homines fore beatos. Atque hinc oritur mali culpæ permissio, & mali pœnæ immissio. Unde profiscitur prorsus admirabilis mediorum heterogeneorum combinatio.

V. *Subjecta hujus societatis sunt personæ sociabiles, scilicet Deus & creaturæ intelligentes, quarum unio & communio dicitur fœdus.* (Societatis membra non sunt mancipia sed instrumenta, intellige societatem humanam, angeli boni & mali repudiati non sunt societatis divinæ & humanæ membra sed instrumenta, & divinæ gloriæ manifestationis media) fœdus illud est multiplex, ut primum naturæ, secundum gratiæ. Inter creaturas alia sunt primaria hujus societatis membra, nimirum creaturæ intelligentes beatificandæ: tam arcta autem est hæc obligatio, ut nulla creatura huic societati possit se subducere: omnimodo huc jam omnes tam Dei quàm creaturarum intelligentium facultates, omnes actiones & passiones, tanquam secundaria subjecta symbioticæ sunt referendæ.

VI. *Media hujus societatis considerantur in genere & in specie.*

In genere quoad communes affectiones & partes: De communibus affectionibus notentur sequentia.

1. Om-

1. Omnia & singula hujus societatis media à Deo adhibita sunt congruentissima, tum absolutè & sigillatim, tum relatè & conjunctim considerata: 2. Absolutè sunt sapientissima, æquissima, liberrima, efficacissima, sanctissima, quæ omnes & singulæ affectiones necessariò sequuntur ex attributis Dei supra demonstratis. 3. Relatè considerata sunt congruentissima, tum ratione Dei ordinantis, tum ratione creaturarum ordinatarum, tum denique ratione superiorum: Ineffabilis enim occurrit horum mediorum immeatio, adeoque coordinatio & subordinatio, quâ rectè perpensâ, & panharmonia mundi egregiè cernitur, & multæ graves difficultates haud graviter solvuntur.

VII. *Partes mediorum communes sunt deliberatio & executio decreti.* Cum enim personæ sunt intelligentes, necessariò hæc eis competunt. Decretum est divinæ mentis sententia, quâ omnia omnino in universa societate occurrentia, tam quoad essentiam quàm quoad modum & gradum perfectissimè ab æterno præ ordinantur: hanc docendi gratiâ vocabimus prædestinationem.

Executio est divinæ potentiæ efficientia, quâ in tempore reipsa omnes creaturas ordinat, prout ab æterno præordinaverat. Ubi nota primò quod decretum & executio accuratissimè

inter

inter se congruant, hæcque illis sit speculum, illa hujus exemplar: 2. Respondere sibi ordine retrogrado, ita ut primum in intentione, ultimum sit in executione & viciſſim. 3. Utrumq; medium niti divinâ omnisufficientia & omniefficientia. In decreto electionis debemus à fine regredi ad media, & sic tandem ad causam, ut qui voluit finem, voluit & media; ergo & causam hominis, qui est medium manifestationis divinæ gloriæ & misericordiæ.

VIII. *In specie media hæc sunt unio & communio*, strictè hic sunt accipiendi termini ut supra.

IX. *Vnio est primum medium, quo sociabilium Dei scilicet & creaturarum habitudo constituitur.* Hoc medium plerumque soli Dei competit, & si concedat creaturæ operatio tantùm est instrumentum; unde oritur absolutum Dei in hac societate dominium.

X. *Vnio illa est uniendorum procuratio, vel procuratorum conjunctio*: procuratio illa tantùm versatur circa creaturas, cùm Deus sit ab æterno, nihilque intrinsecè addi ei queat.

XI. *Vniendorum procuratio vel est eorum productio vel conservatio.*

XII. *Productio est actio Dei quâ Deus fecit ut omnes creaturæ, omnesque ipsarum perfectiones primò sint*: hæc est universalissima creatio, quæ est prima basis absoluti ac universalissimi ejus in creaturas dominii.

XIII. *Conservatio est actio Dei qua Deus facit ut omnes creaturæ ipsarumque facultates societate congrue durent*, hæc est altera basis divini dominii.

XIV. *Procuratorum conjunctio est uniendorum sociatio*.

XV. *Eaque consideratur generaliter vel specialiter*: generaliter respectu acquisitionis, adeoque productionis, æquiparationis.

Atque hæc est tertia basis divini dominii, de quâ fusè in symbiotica generali.

XVI. *Specialiter ratione gubernationis*, quatenus Deus consideratur ut præses, creaturæ ut subditi.

Gubernatio est actio Dei qua creaturas creationi congruè ad suum finem ordinat, atque hæc est basis quarta.

XVII. *Hæc Gubernatio consistit in unione & communione*.

XVIII. *Communio illa est vel communis, qua se Deus omni omnino creaturæ communicavit, vel specialis quâ se communicat intelligentibus*. Illa dicitur physica, hæc moralis, illa consistit in eo quod Deus omnibus creaturis det & conservet essentiam & facultates. 3. Facultates excitet & prædeterminet ad agendum. 4. Cum iis concurrat. 5. Eas sapientissimè ordinet. Causa physica est interna causa movens. Moralis, externa movens.

XIX. *Communicatio moralis est qua Deus mediante*

diante ratione gubernat creaturas intelligentes, hæc physicam non tollit sed præsupponit.

XX. *Estque primitiva vel derivativa*: illa est consilii & auxilii.

Communicatio consilii primitiva est quâ Deus voluntatem suam creaturis officium eis significando præscribit. Huc pertinent modi docendi officium creaturæ antecedentis, imprimis legislatio, prophetia, prædicatio & vocatio.

Communicatio auxilii primitiva est quâ Deus de mediis creaturarum necessariis prospicit: huc pertinent modi implendi antecedentes.

XXI. *Communicatio derivativa est quæ ex primitiva, eique proportionaliter respondet*: Eaq; iterum est consilii vel auxilii. Ad communicationem consilii pertinent omnes modi docendi officium vel factum creaturæ sequentes: ubi excellit judicium.

XXII. *Communicatio derivativa est qua Deus judicium suum exequitur* (in judicio Dei non redduntur excusabiles qui nunquam audiverunt verbum Dei) huc pertinent modi implendi sequentes, quia habuerunt segetem naturæ ex creatione, potuissent cognoscere aliquem esse Deum, & colendum, & in Adamo omnes sunt rei, diaboli & hominum aliqui in inferno sunt, & erunt, quatenus se ipsos esse divinæ gloriæ manifestationis media & organa, quamvis seipsos in æternum cruciantes.

XXIII. *Executio illa est præmium vel pœna:* unde

unde oritur ſtatus creaturarum intelligentium beatus vel miſer.

Atque hæc de Sciagraphia Symbioticæ archetypa, quæ ſi ex generalibus primæ Philoſophiæ, Logicæ ac Symbioticæ principiis explicetur, probetur ac amplificetur, non exiguam lucem graviſſimis Theologis, Philoſophis ac Juriſconſultis agitatis controverſiis, Deo benedicente, inferet.

INDEX CAPITUM

PRIMI LIBRI.

I.	*De Beatitudine Symbiotica*	pag. 3.
II.	*De Perſonis & rebus conſociandis.*	6.
III.	*De Mediis Symbioticis in genere.*	16.
IV.	*De Vnione Symbiotica in genere.*	25.
V.	*De Vnione Symbiotica in ſpecie.*	52.
VI.	*De Communione Symbiotica.*	68.

SECUNDI LIBRI.

I.	*De Dei exiſtentia.*	80.
II.	*De Modo inveſtigandi naturam Dei.*	90.
III.	*De Demonſtratione attributorum Dei.*	93.
IV.	*De Divinæ eſſentiæ unitate & perſonarum Trinitate.*	120.
V.	*De Conſideratione Dei relate reſpectu Creaturarum Societatis capacium.*	137.